P. Luiz Müller S. J.

THEOLOGIA NATURALIS

P. Lutz Müller S. J.

Theologia Naturalis

Ad usum privatum

in Seminario Centrali Leopoldensi

1945

Cum licentia Superiorum

BIBLIOGRAPHIA

Auctores classici:

1) Boetii Manlii Severini, L.III. De consolatione philosophiae.
2) Lessius Leornardus, De summo bono et aeterna beatitudine hominis, Parisiis, 1880.
   De perfectionibus moribusque Divinis, Parisiis.
   De nominibus Dei, Parisiis.
3) Molina Ludovicus, Concordia, Parisiis, 1876.
4) Suarez, Disputationes metaphysicae, 29 et 30.
5) S. Thomas, Summa Theologica, Parisiis 1877.
   Summa contra gentiles, Romae 1888.
   Quaestiones disputatae, v.I. De malo, Parisiis 1883.
   Qu. disp., v.III. De veritate, Parisiis 1883.

Auctores scholastici moderni:

1) Cathrein Victor S.J.. Philosophia moralis, Friburgi Brisg. 1927.
2) Cotter A.C. S.J., Cosmologia, Boston 1931.
3) Descoqs P., S.J., Praelectiones theologiae naturalis, v.1-2, Parisiis 1932 — 35.
4) De Vries Josephus, S.J., Critica, Friburgi Brisg. 1937.
5) Frank Carolus, S.J., Philosophia naturalis, Friburgi Brisg. 1926.
6) Frick Carolus, S.J., Ontologia. Friburgi Brisg. 1921.
   Logica, Friburgi Brisg. 1925.
7) Fröbes Josephus, S.J., Cursus brevior psychologiae speculativae, Parisiis, 1933.
   Compendium psychologiae experimentalis, Romae, 1938.
8) Gonzalez Zepherynus, O.Pr. Card., Philosophia element., Vol. II. Matriti, 1894
9) Gredt Josephus, O.S.B., Elementa phil. Aristotelico-thomisticae, Vol. 2.
   Friburgi Brisg. 1926.
10) Grou Joannes, S.J., Handbuch für innerliche Seelen, Münster i.W. 1924.
11) Haas Joannes, S.J., Introductio in metaphysicam generalem, comp. mim. S. Leop. 1943
    Cosmologia, compendium mimeograph. S. Leop. 1944.

12) Hontheim Josephus, S.J., Institutiones theodiceae, Friburgi Brisg. 1893.
Theologia naturalis, compendium, Friburgi Brisg. 1926.

13) Hurter H., S.J., Medulla theologiae dogmaticae, Parisiis 1885.

14) Ketter Peter, Herders Bibelkommentar, Bd. 15, Freiburg Breisgau 1937.

15) Knabenbauer, S.J., Commentarius in S. Pauli Ap. Epistolas, Parisiis 1912.

16) Mors Josephus, S.J., Institutiones theologiae dogmaticae, de Deo creante, 1940.
de Deo Uno, 1941.

17) Palmieri Dominicus, E.S., Institutiones philosophicae, vol. 3. Romae 1876.

18) Pesch Christianus, S.J., De Deo Creante, vol. III. Friburgi. Brisg. 1908.

19) Rast Maximilianus, S.J., Theologia naturalis, Friburgi Brisg. 1939.

20) Saintonge Fridericus, S.J., Summa cosmologiae, Montréal 1941.

21) Scheeben M. Josephus, Handbuch der katholischen Dogmatik, Bd. 2. Freiburg Breisgau 1878.

22) Stöckl Albertus, Lehrbuch der Philosophie, Bd.2. Mainz 1876.

23) Urráburu Joannes, S.J., Compendium philosophiae scholasticae, v.V. Madrid 1927.

24) Zahnen Petrus, S.J., Psychologia speculativa, compend. mimeograph. S. Leop. 1944.

Quaestione speciales:

1) Bangha, S.J., Welt und Überwelt, Oesterreich, 1939.

2) Steffen Antonius, S.J., O princípio da causalidade é analítico ou não? — no "O Seminário", 1945, Número 4.

3) Weinberger Gulielmus, Anicii Manlii Severini philosophiae consolationis libri quinque, Vindobonae — Lipsiae, 1934.

OPERA HISTORICA

1) Denzinger-Bannwart, Enchiridion symbolorum et definitionum, Friburgi Brisg. 1922.

2) Der Grosse Herder, Bd. 1-12, Freiburg im Breisgau, 1931-1935.

3) Leonel Franca, S.J., História da filosofia, Rio de Janeiro 1921.

4) Stateczny Eusebius, O.M., Compendium historiae philosophiae, Romae 1898.

5) Stöckl Albertus, Grundriss der Geschichte der Philosophie, Mainz 1924.

PROOEMIUM

Studiis operam navare de rebus mundanis erit procul dubio occupatio perpulchra et homini digna. Pulchrius et jucundius autem erit, scire aliquid de ipso Deo, utpote auctore omnium illarum rerum. Quare Divus Leonardus Lessius jure merito exclamare potuit: "Quid enim optabilius, quam nosse summum bonum finemque ultimum et tenere viam certissimam, qua ad illud pervenitur? Sine hac notitia omnis alia sapientia esset inutilis, neque sapientiae nomine digna". (L. Lessius, "De Perfectionibus, Moribusque Divinis"; pg. 551)

En, summum motivum, ad Theodiceam ex toto corde amplectendam, eamque colendam per totam vitam! Si jam hac in vita tam bonum et pulchrum est, cogitare de Deo, Eius perfectiones considerando et contemplando, quid tunc dicendum erit de vita nostra sempiterna et beata! Nam, "Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem". (1. Cor. XIII, 12)

Sunt quidem, qui putant, Theologiam Naturalem, utpote materiam speculativam, non esse tanti momenti pro vita practica et pro futuro apostulatu sacerdotali. Audiamus responsionem Leonardi Lessii in suo Prooemio: "Falluntur profecto (scilicet illi, qui ita loquuntur) atque jucundissimo utilissimae scientiae fructu sese privant. Nam, inter omnes Theologiae partes nulla praestantior, nulla dignior, nulla, quae magis Theologiae aut sapientiae.... nomen mereatur. Longe enim praestantius est, de rebus Divinis, nempe de Dei perfectionibus,... de creatione et conservatione mundi, de cooperatione Dei cum rebus creatis,... de Visione Dei, de Vita aeterna, vel pauca cognoscere, quam plurima de rebus creatis, de inventis et institutis humanis, aliisque rebus, quarum usus solum ad hanc vitam pertinet". (ib. pg. XII.)

Deinde, Theodicea non solum maximam consolationem afferre valet, si quis ea probe uti norit, sed etiam summam perfectionem ac sanctitatem conciliare potest. Quae enim hic tractantur, non tantum ad scholasticas pertinent disputationes, uti aliqui opinari videntur; magnopere enim juvare possunt, ad Deum contemplandum, venerandum, Eumque timendum, necnon ex toto corde amandum et laudandum jam hac in vita. Porro, nihil est, quod cor nostrum adeo a rerum mundanarum et caducarum amore avocet et ad coelestium desiderium inflammet, quam Divinarum perfectionum et operationum consideratio et contemplatio. Quaeque scientia omnium aliarum scientiarum Domina et princeps recte vocari solet. Dei cognitio est insuper suprema, absoluta perfectaque justitiae regula. Nam, perfectio hominis consistit in unione cum Deo, primo suo principio et fine absolute ultimo. Quae autem unio cum Deo originem non accipit, nisi a cognitione, quae est principium ac fundamentum totius illius unionis. Ideoque scripsit Dionysius: "Prima unio cum Deo est per intellectum. Ex hac autem sequitur unio per affectum... et unio aliarum virium animae cum eodem, quatenus earum operationes per affectum in Deum, id est, in Dei Gloriam elevantur ac diriguntur". (cf. L. Lessius, ib. pg. XV.) —

Proinde hic inculcanda sunt verba ipsius L. Lessii: "Debemus studiis operam navare de Deo Eiusque perfectionibus, magis orando, quam studendo, magis corde et affectu, quam intellectu". (ib.) —

INTRODUCTIO

1. De Definitione Theologiae naturalis vel Theoliceae

1) **Definitio nominalis:** Provenit ex lingua graeca et significat: "Tó tõu Theõu dikáioma", i. e. "justificatio Dei", quodque nomen inventum est a Leibnitio, qui (a. 1710) scripsit: "Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu etc." (cf. Hontheim, Compendium, pg. 1). De facto, quo perfectius Deus a nobis cognoscitur, eo melius et perfectius omnes Eius perfectiones nobis innotescere valent.

2) **Definitio realis:** Theodicea est scientia de Deo, naturali lumine comparata. Brevisima **explicatio:** 1) **Scientia:** Omnis scientia, uti vidimus in Logica, (cf. Frick, Logica pg. 93) est **cognitio certa ex causis.** a) **cognitio:** non aliqua mera emotio vel affectio, uti nonnulli moderni affirmare conantur. Sic v. gr. "Secundum Scheler, qui tenet primatum amoris, Deus primario in actu amoris attingitur, quem actum sequitur actus intellectionis theoreticae". (Rast, Comp. pg. 83) — Similiter videntur docere alii, uti Winkler, Reinach, Husserl, Bergson et praesertim Heidegger in sua methodo "phaenomenologica" ad problema de Dei cognitione solvendum. — Deinde inculcandum contra sentimentalistas, non sufficere qualemcumque cognitionem, uti v. gr. sensitivam; requiritur cognitio vere intellectualis, cum agatur de obiecto pure et summe spirituali. b) Dicitur cognitio **certa:** ut sit scientia proprie dicta et sensu stricto sumpta, non sufficit cognitio mere, quamvis forte solide **probabilis;** a fortiori non sufifceret cognitio tantum **dubia.** Requiritur proinde firma mentis nostrae adhaesio absque ulla formidine errandi; quaeque certitudo debet esse vere formalis, sc. subiectiva et obiectiva, uti vidimus in Critica; (cf. Frick, Comp. Crit., pg. 131). Verum est, hanc permittere triplicem gradum, sc. moralem, physicam et metaphysicam certitudinem. Quaeque certitudo metaphysi-

ca procul dubio saepissime aderit in nostro tractatu. In certis quaestionibus inveniemus veritatem, licet cum vera certitudine, tamen non in summo gradu. In non paucis casibus contenti erimus cum vera probabilitate, uti v. gr. in illa celeberrima controversia de cooperatione Dei inter et creaturam liberam. c) Denique dicitur, cognitio certa ex **causis**: Multa in vita practica cognosci solent, et quidem cum vera certitudine; nihilominus non erit eo ipso cognitio vere scientifica, cum non sit cognitio ex causis. Debemus proinde in Theodicea investigare causas, et quidem ultimas, cum agatur de disciplina stricte philosophica; quod statim inculcare volumus contra multos protestantes, uti suo loco adhuc expressius faciemus. 2) Deinde dicitur in definitione, theodiceam esse sc. de **Deo**: en, obiectum **materiale** ipsius theologiae naturalis! Agitur de Deo, utpote enti absoluto et suprema et ultima causa rerum omnium. Cuius conceptus clara notio et perfecta evolutio erit aliquod munus principale nostri tractatus. Deinde dicitur: 3) **naturali lumine**: quibus verbis habemus obiectum **formale**, quo theologia naturalis differt a theologia supernaturali, seu dogmatica, quae ultima agit de Deo, principaliter ex lumine supernaturali, quamvis indigeat etiam lumine naturali. 4) Dicitur, naturali lumine **comparata**: Hoc ultimo vocabulo indicatur, nostram cognitionem de Deo hac in vita non esse intuitivam, sed discursivam. Quo in puncto tractatus noster concordat cum theologia dogmatica, quae non est minus discursiva quam ipsa theodicea, in oppositione ad Visionem — Beatificam in coelo, ubi videbimus Deum, non "in specie et in aenigmate", sed "facie ad faciem". (cf. 1. Cor. XIII, 12.) —

2. **De relatione inter theodiceam et theologiam dogmaticam:**

1) **Differunt inter se**: a) quoad **subiectum**: theologia naturalis considerat Deum ut auctorem naturae, theologia autem dogmatica ut auctorem gratiae; (cf. Rast Comp., pg. 1) — **b**) quoad **fontes**: theologia naturalis haurit ex lumine naturali perviis, sc., experientia interna et externa, adhibitis principiis metaphysicis; supernaturalis autem haurit ex revelatione Divina; (cf. ib.)

— c) differunt quoad **evidentiam:** in nostro tractatu habetur, saltem quoad facta, evidentia interna; in tractatu dogmatico autem extrinseca, scilicet, propter Deum revelantem. d) quoad **certitudinem:** in theologia naturali habetur quidem certitudo metaphysica, nihilominus, mere naturalis, in dogmatica autem supernaturalis quoad entitatem actus. Quaeque certitudo superat priorem ratione firmitatis adhaesionis; (ib.)

2) Altera ex parte **conectuntur** inter se: Nam theologia naturalis: a) praesupponitur, utpote praestans "praeambula fidei", scientifice demonstrando Dei existentiam, possibilitatem miraculorum, imo, et possibilitatem ipsius revelationis; b) juvatur a theologia dogmatica tamquam a norma negativa, cum in nostro tractatu nihil affirmari liceat, quod contradicat fidei, et sic servatur a multis erroribus; (ib. pg. 2.)

3. De possibilitate theologicae naturalis

Bonum erit, hoc jam statim ab initio inculcare contra theologos protestantes, uti jam indicavimus in Introductione. Utique, non agitur hic de aliqua scientia empirica, neque de aliqua disciplina mere abstracta, uti v. gr. affirmare vult Kant in suo libro "Kritik der reinen Vernunft" (pg. 658-681) — Theologia naturalis una ex parte gaudet charactere metaphysico utens principiis metaphysicis; altera ex parte procedit ex ordine empirico, scilicet, ex factis positivis, contingentibus; quodque assertum nostrum luculenter probabitur in sequentibus. Nihilominus, non erit inutile, jam initio refutare unam vel alteram obiectionem contra theologiae naturalis possibilitatem:

Obi. 1. Secundum Aristotelem scientia (sc. philosophica) est de universalibus; atqui, de Deo non datur universale; ergo, nulla scienta?

Resp. Conc. mai.; dist. min.: de Deo non possumus formare conceptum universalem, et hoc sensu de Deo non datur universale, conc.; pro Deo non valent illa principia metaphysica et stricte universalia (de quibus in critica et ontologia) nego min.; par. dist. cons.: de Deo nulla daretur scientia, si principia universalia pro eo non valerent, conc.; secus nego.

Obi. 2. Non existit, nisi Deus trinus; atqui, hic non est obiectum theodiceae; ergo, nullum habet obiectum reale.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: Deus non est obiectum qua trinus, conc.; qui trinus, (i. e, inquantum respicitur ipsa natura, utpote una), nego; data dist. nego cons.

Obi. 3. Multa, de quibus in theodicea, sunt articuli fidei; atqui, artic. fidei nequeunt scientifice demonstrari; ergo.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: non sub eodem respectu, conc.; non sub diverso, nego.

4. De divisione ipsius tractatus

In parte I[a] praeparatur Dei existentiae demonstratio.

In parte II[a] afferuntur argumenta pro eadem Dei existentia.

In parte III[a] erit quaestio de attributis ipsius esse Divini.

In parte IV[a] agitur de attributis operationis Divinae.

In parte V[a] tandem aliquando agendum erit de origine omnium rerum a Deo, necnon de modo, quo res omnes a Deo dependent, sive in essendo, sive in operando.

5. De momento vel utilitate theologiae naturalis

Uti breviter jam dictum est in Prooemio, nullum erit studium utilius et pulchrius, quam studium ipsius Dei, utpote obiecti dignissimi considerationis et conversationis nostrae. Tractatum de theologia naturali esse summi momenti praecipue in nostris temporibus modernis, est evidens, cum tot athei sese dirigant contra Deum, eique erripere conentur dominium et gubernationem super societates humanas, sive publicas, sive privatas. Quo magis honorem et gloriam Deo denegare cupiunt, eo magis urget, ut nos, sacerdotes et candidati sacerdotii, omnem honorem et gloriam ei retribuamus, cognoscendo et agnoscendo corde, ore et opere infinitam eius excellentiam et perfectionem. Qui proinde est finis et scopos totius nostri conatus omnisqu laboris.

PARS PRIMA

DEMONSTRATIO EXISTENTIA DEI

PRAEPARATUR

Assertum: Conceptus Dei oritur ex consideratione rerum mundanarum, ita, ut omnes notae, quae conceptum Dei ingrediuntur, abstractione haustae sint ex his rebus nos circumstantibus.

Explicatio: Quaenam est nota rei **propria?** Resp. Est illud elementum caracteristicum, quod ipsi rei **soli** convenit. Ita v. gr. nota homini propria relate ad omnia entia mundana (nam, de praeter-vel supramundanis nolumus loqui in hoc casu) est eius rationalitas; vel nota ipsi sacerdoti propria erit "character sacerdotalis", quia **omnibus** ac **solis** sacerdotibus convenit, quod quidem sensibiliter cognosci nequit, sed tantum ex fontibus altioribus. His praesuppositis dicendum est: 1) **Nulla** nota **positiva et simplex** est Dei **propria; cur non?** Resp. quia hae omnes inveniri possunt etiam in creaturis, licet modo analogo, uti suo loco explicabitur; v. gr. bonus, sanctus, substantia, ens, verum, pulchrum, etc. Ideoque nota Deo propria semper debet esse conceptus **compositus,** sive sit negativus, sive positivus. Sed v. gr. "creans" est nota Deo propria et nihilominus est nota positiva et simplex? **Resp.** Nego, creans vel creare esse notam simplicem. Est conceptus reapse **compositus** (sc. producere aliquid ex nihilo sui et subiecti, uti in thesi de creatione videbimus).

2) Omnes notae Deo propriae non inveniuntur nisi a) vel per **abstractionem** et **affirmationem** et per **generalisationem;** v. gr. **homo est potens;** quod obtinetur per aliquam abstractionem ex multiplici operatione hominis; tunc dico **Deus est potens;** et sic idem affirmatur etiam de Deo, utique, non eodem modo; et sic habetur

tertium elementum, sc. generalisatio i. e. Deus est potens non modo finito et imperfecto, uti homo, sed modo **infinito** et **illimitato** vel **eminenter.** Notae Deo propriae inveniri possunt etiam alio modo, sc. **b)** per **abstractionem et negationem;** v. gr. **homo est mutabilis;** quae notio nobis innotescit per operationem abstractivam, observando hominem in suis diversissimis conditionibus; considerando ipsum Deum, pervenimus ad resultatum contrarium, negando talem imperfectionem de Deo et sic habetur judicium negativum, sc. **Deus est immutabilis,** quod est idem ac dicere Deus est non mutabilis vel Deus non est mutabilis.

NOTA: Quid sit abstractio, luculenter explicatum est in Logica et Critica. Hic sufficiet breviter notare differentiam inter abstractionem sensu stricto et sensu latiore vel in genere; 1) in **genere;** est cognitio vel observatio unius vel plurium rei vel rerum notarum, relictis vel retentis vel omissis ceteris omnibus; v. gr. possum attendere solum ad colorem vel ad solam dimensionem vel ad solam partem superiorem vel inferiorem alicuius imaginis vel figurae, etc.;

2) abstractio in **specie** vel sensu **stricto** ex mente S. Thomae est consideratio unius vel plurium notarum **universalium** omissis omnibus notis individuantibus vel concretis vel singularibus; v. gr. homo in abstracto sumptus.

Quoad conceptum Dei rite acquirendum notandum est, nos uti non solis conceptibus per experientiam externam acquisitis, sed etiam per experientiam **internam** acquisitis, uti v. gr. volendo, intelligendo, etc.

COROLLARIUM: Debemus hic breviter tractare falsas opiniones relate ad Dei existentiam cognoscendam. Sunt, qui hac in re peccant per **excessum,** uti v. gr. Cartesiani et ontologistae et praesertim phaenomenologia moderna ipsius Husserl eiusque scholae. Alii peccant per **defectum,** negando nos jam naturaliter posse cognoscere Deum, uti traditionalistae et praesertim agnostici, qui ultimi omnem Dei cognoscibilitatem simpliciter negare conantur. Nunc ad singulas opiniones:

1) **Secundum cartesianismum** intellectus noster ex prima nativitate nullo modo esset "tabula rasa", sed om-

nium rerum, praesertim entis **infiniti** contineret quasdam "species" **innatas**; ita jam Plato, postea Descartes, Leibniz et alii. — Talem sententiam esse falsam, jam scimus ex prsychologia speculativa. (cf. Froebes Jos., Cursus Brevior, pg. 199-208) —

2) Secundum **ontologismum** Deus a nobis jam hac in vita **immediate intueri** posset. Ita **Malebranche** († 1715), **Gioberti** († 1852), **Rosmini** († 1855) et multi alii. Quam sententiam esse erroneam, ex sequentibus argumentis lucutenter elucet:

Arg. 1. (Ex nostra **conscientia**) Si talem intuitionem haberemus, deberemus huius intuitionis conscii esse; **atqui,** teste experientia nostra conscientia **nihil scit** de ea, neque directe neque indirecte; **ergo.**;

Arg. 2. (Ex **natura cognitionis** humanae) Obiectum primo et per se cognitum intellectus nostri, quo viso omnia alia cognoscimus, debet esse facultati nostrae maxime proportionatum; **atqui** Deus **non** est obiectum facultati nostrae **proportionatum;** (licet sit obiectum **"adaequatum",** uti dicit Froebes) **ergo**. . ;

Ad mai. Nam, **"quidquid percipitur, non percipitur, nisi secundum modum percipientis";** ut igitur aliquod obiectum immedite in sua natura attingatur, requiritur proportio entitativa inter illud et subiectum cognoscens; (cf. S. th. I. q. 12, a. 4, c.)

Ad min. Nam, obiectum proportionatum intellectus nostri hac in vita secundum psychologiam speculativam non sunt, nisi intelligibilia in sensibilibus; (cf. Froebs. Comp. psych. spec., pg. 216-221) — Insuper dicendum erit hac occasione, nostram notionem de Deo hac in vita non esse, nisi **analogam,** ideoque nullo modo immediatam.

Arg. 3. (Ex **absurdis sequelis**)

Nam, secundum ontologistas cognitio Dei simpliciter **identificatur** cum ipso Deo, inquantum est imitabilis ad extra; **atqui,** haec cognitio secundum illos identificatur altera ex parte cum ipsis creaturis; **ergo** ipsae creaturae deberent logice identificari cum Deo, et sic ontologismus dircte conducit ad **pantheismum.**

3) Secundum **traditionalistas** intellectus humanus ex viribus suis minime sufficeret ad certam de Deo cognitionem acquirendam; putant, saltem ad cognitionem

religiosam et moralem necessarium esse magisterium sociale; cf. **De Bonald** († 1840), **Lamennais** († 1854), **Bonnetty** († 1879), **Bautain** († 1867), **Ventura** († 1861) et alii.

Brevissima **refutatio:** 1) Prima idea non per verbum ingeneratur vel excitatur, sed intellectionem vocabuli praecedere debet; (cf. Froebes, Comp., pg. 249) 2) Acceptatio traditionis vel revelationis (sive naturalis sive supernaturalis) jam **praesupponit** certas veritates a nobis certo cognitas, quaeque optime vocantur **"praeambula fidei"**; — 3) Ipsa nostra argumenta pro notione et existentia Dei contrarium invicte probant. 4) Instructio **non passive** imprimit veritates, sed occasionem solum faciliorem praebet ad eas acquierendas. (cf. Froebes, ib. pg. 250).

Libenter concedimus, instructionem accuratam esse valde utilem ad nostrum finem, immo, ad perfectam Dei cognitionem esse prorsus necessariam.

4) **Agnostici:**

Dicunt, nos nihil cum certitudine cognoscere posse de rebus supersensibilibus, praesertim de Deo et de ordine morali et religioso. Ita docent: **Baco Verulamius** († 1626), **Locke** († 1704), **Hume** († 1771), **Comte** († 1857), **Spencer** († 1903) —

Agnostici moderni sunt v. gr. **Loisy, Tyrell, Fogazzaro** et multi alii, qui cum magistro suo **Kantio** affirmant, nos de Dei existentia et natura nihil scire posse cum scientia nostra restricta sit ad mundum mere sensibilem; (cf. **Kant,** Kritik der reinen Vernunft, pg. 663-664, ubi clare negat, principium causalitatis valere in aliquo mundo supersensibili, vel secundum hoc principium concludi posse de existentia mundi sensibilis ad existentiam entis insensibilis). — Hoc systema agnosticismi jam in Critica ut falsum et funestum refutatum est; (cf. **Frick,** Comp. p. 306).

5) **Fideistae** vel **sentimentalistae:**

Sunt proprie etiam agnostici; sed, cum persuasione religiosa renuntiare nolint, sensum quendam specialem excogitarunt, quo nos modo necessario et caeco Deum attingere putant. Similiter affirmant: **Reid Thomas** († 1796), **Emmanuel Kant** († 1804), in suo libro "Kritik

de praktischen Vernunft"; **Schleiermacher** († 1834), **Ritschl** († 1881), **Harnack** et multi alii. — Etiam hanc sententiam esse absurdam, luculenter probatum est in Critica; omissis omnibus ceteris rationibus, sufficiat afferre hanc, sc. affirmare aliquam **cognitionem caecam** est contradictio in terminis.

6) Methodus **phaenomenologica:** (cf. **Heidegger, Husserl, Scheler, Reinach, Bergson, Winkler,** etc.) Dicunt, "Divinum" nobis non dari, nisi actibus religiosis; tales actus secundum illos sunt: Fides, adoratio, verecundia, amor, spes, confidentia, etc. (cf. Rast, Comp. pg. 83). Deinde affirmant, nos intueri valores et relationes per determinatam classem actuum, et quidem non per actus intellectuales, neque volitivos, sed **emotionales,** uti aiunt. (cf. Rast, pg. 82) En, **"emotionalismus"** modernus! Talem opinionem esse simpliciter absurdam, constat non tantum ex psycsologia speculativa, sed optime confirmatur per psychologiam experimentalem, quae nullam admittit affectionem vel emotionem sine praecedenti et correspondenti perceptione, respective, cognitione spirituali, ubi agitur de affectibus spiritualibus. (cf. Froebes Comp. psych. experim., pg. 297-302) — Porro, existentia ordinis religiosi, uti aiunt, nequit demonstrari, sicut nec existentia mundi externi, cum sit nota per evidentiam immediatam. (Rast pg. 83) — Hic habetur combinatio aliqua inter sensualismum religiosum et ontologismum, et sic iterum valet, uti persaepe: **"Nihil novi sub sole"!** Videntur quidem admittere Deum ut ens personale et inculcant "indolem religiosam" ("Wertaufgeschlossenheit"), mediante qua Deus non "demonstratur" sed "detegitur"; (cf. Rast, ib. pg. 83).

Crisis: Indoles religiosa, utique, requiritur, sed alio sensu, sc.: 1) ex parte ipsius **intellectus;** debet adesse debita applicatio facultatis ("cognitio philosophica"); 2) ex parte **voluntatis;** humilis amor veritatis, cui opponitur superbia et resistentia contra lumen ipsius veritatis; 3) ex parte vitae **affectivae;** libertas a nimia sensualitate et curis mundanis, puritas morum etc., uti in thesi contra atheismum suo loco inculcabitur.

THESIS 1. Deus naturali lumine certo cognosci potest.

Nexus. In praecedentibus ostendimus, illos multipliciter contradicere sanis principiis philosophicis, qui Dei cognoscendi possibilitatem plane negare conantur. Nunc debemus **positive** monstrare, Deum a nobis cognosci posse.

Conceptus: 1) Dicitur **Deus;** i. e, saltem quoad conceptum vulgarem, si agitur de homine simplici et vulgari; intellectus autem magis eruditus utique, pervenire poterit ad conceptum magis scientificum ipsius entis supremi. 2) **Naturali lumine** i. e. independenter a qualibet instructione vel revelatione positiva, sive sit naturalis, sive supernaturalis. Quod punctum specialiter inculcandum est contra traditionalismum religiosum. 3) **Cognosci;** non dicitur demonstrari; cognosci et demonstrari evidenter **non sunt synonyma.** Multa certo cognosci possunt, quin possint demonstrari, uti v. gr. principium contradictionis, quod in omni demonstratione simpliciter supponitur ut notum. Alia, licet certo a nobis cognoscantur, et per se etiam demonstrari valeant, tamen non semper hic et nunc. Evidenter nolumus hic negare, Dei existentiam demonstrari posse a nobis, quia secus aperte contradiceremus toti parti secundae nostri tractatus. Sed hac in thesi non loquimur nisi de mera cognoscibilitate. 4) Dicitur **certo;** i. e., non est cognitio mere dubia, uti falso affirmarunt agnostici. 5) **Potest;** i. e., saltem omnis homo **per se** Deum cognoscere potest, si adsunt conditiones requisitae uti, **a)** usus **rationis; b)** status saltem essentialiter **normalis** individui; excluduntur proinde gravissimae patologiae, sive vitae cognoscitivae, sive vitae affectivae, de quibus fuit quaestio in psychologia experimentali; **c)** requiritur insuper saltem aliqua **bona** voluntas, cum non agatur de veritate immediate evidenti et sic adesse potest dubium, quamvis imprudens, uti optime inculcat Rast. (cf. Comp. pg. 19).

Adversarii: Sunt magna ex parte illi, de quibus in corollario praecedenti fuit sermo, scilicet, **traditionalistae, agnostici** et **sentimentalistae,** saltem illi, qui admittunt characterem mere emotionalem ipsius religionis, negando veram cognitionem Dei sensu nostro.

Argumentum. (Ex principio axiologico)

Secundum principium axiologicum **"natura non deficit in necessariis"**, i. e. id, quod natura humana sponte sua et necessario vult vel appetit, debet esse possibile; **atqui**, natura humana rationalis necessario et sponte sua vult aliquid certo scire de Deo, eiusque natura. **Ergo** hoc debet esse possibile, **ergo**. . ;

Ad mai. Principium axiologicum esse principium vere metaphysicum, jam antecedenter ad Dei existentiam probatam, posset per se supponi ut probatum in Critica. Sed, cum aliqui scholastici moderni hoc negare videantur, debemus hoc speciatim probare, quod faciemus post thesim alteram in aliquo capitulo speciali.

Ad min. Naturam humanam qua rationalem necessario et sponte sua appetere aliquid certo scire de Deo, modo inconcusso constat ex universali experientia, tum externa; tum praesertim **interna**; hoc S. Augustinus saepissime inculcat, sicut et alii SS. Patres. Proinde jure merito dicere potuit Tertullianus, **"animam humanam esse naturaliter christianam"**, quod procul dubio dicere non potuisset, si illa tendentia, de qua in minore, non existeret. Plura de hoc fusius explicabitur in alio loco, praesertim in argumento **eudaemonologico.**

Obi. 1. Facultas sensitiva spirituale apprehendere nequit. **Atqui** magis Deus distat a mente humana quam sensus a spirituali. Ergo, a fortiori mens nostra non cognoscit Deum.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: in ordine ontologico vel essendi, conc.; in ordine logico vel cognoscendi, nego; data dist. nego cons.

Obi. 2. Infinitum non continetur in finito; ergo, Deus, utpote ens infinitum, non potest collegi ex mundo finito.

Resp. Dist, antec.: non continetur entitative, conc.; non manifestative, nego; data dist. nego cons.

Obi. 3. Conclusio numquam latius patet ipsis praemissis; **atqui** tunc Deus, utpote ens infinitum non potest colligi ex ente finito, ergo, etc.

Resp. Conc. mai. et nego suppositionem minoris, sc. esse paritatem. Nam, Deus est causa efficiens rerum

mundanarum, conclusio autem syllogismi nullo modo est causa efficiens praemissarum. Ideoque, illa regula logica valens pro relatione inter conclusionem et praemissas non valet pro relatione Deum inter et creaturas.

Obi. 4. Non possumus existentiam Dei quaerere et invenire, quin sciamus, quid sit Deus; atqui nescimus, quid sit Deus; ergo... etc.

Resp. Nego suppositionem adversarii. Nam, res ita sese habet: Cognoscimus mundum empiricum et scimus, eum debere habere suam causam efficientem et quidem extra se et sic paulatim et ultimatim pervenimus ad cognitionem Dei. Si verum esset quod affirmat obiciens, tunc numquam aliquid rationabiliter quarere possemus; nam, aut jam esset nobis notum, tunc irrationabile esset, illud quaerere; aut non esset notum, tunc secundam adversarium impossibile esset, quaerere.

Obi. 5. Certitudo de Dei existentia supponit infallibilitatem intellectus; **atqui** haec Dei existentiam jam supponit; ergo adest circulus vitiosus.

Resp. Conc. mai. et dist. min.: in ordine ontologico, conc.; in ordine logico, nego; ideo nego consequens.

Obi. 6. In nostris argumentis ad Dei existentiam probandam applicamus principia analytica, praesertim causalitatis et rationis sufficientis; atqui haec pro Deo non valent; (cf. Kant in sua critica rationis purae) ergo.

Resp. Conc. mai. et nego min., sc. illa valere tantum pro ordine empirico, uti adversarius putat. Verum est, principium causalitatis non valere pro Deo, quia ipse non potest habere causam sui ipsius; nihilominus, applicando hoc principium, pervenimus ad Dei existentiam cognoscendam, uti luculenter videbimus in diversis argumentis.

Obi. 7. In explicatione attributorum Divinorum tot et tantae occurrunt difficultates et obscuritates; ergo melius videtur sese abstinere ab omni Dei inquisitione, ut faciunt athei et agnostici.

Resp. Conc. antecedens, praesertim, si inspiciuntur quaestiones de malo, de providentia, de praedestinatione, etc.; sed ex hoc non sequitur conclusio adversarii. Nam, 1) quoad ipsam Dei existentiam, de qua proxime agitur, nulla manet difficultas neque obscuritas; 2) quoad ipsa

Dei attributa claras et certas notitias habere possumus, (licet modo analogo tantum), non obstantibus illis difficultatibus de quibus adversarius loquitur.

Obi. 8. Creatio sine revelatione cognosci nequit; ergo, nec Dei existentia.

Resp. Trans. assertum; nego cons., cum sit quaestio prorsus diversa. Quilibet concedere debet, facilius esse invenire argumenta pro Dei existentia, quam pro thesi de creatione probanda.

THESIS 2. Deum existere non est nobis immediate notum.

Nexus. In thesi praecedenti probavimus, Deum a nobis certo cognosci posse. Nunc erit quaestio de modo et dicimus, hoc nullo modo immediato fieri posse.

Adversarii. Sunt praesertim ontologistae et speciatim defensores scholae phainomenologiae modernae, uti **Husserl, Scheler,** in suo opere "Das Ewige im Menschen", quem sequebantur **A. Reinach, R. Winkler, O. Gruendler, K. Stavenhagen** et alii multi. Est ille **emotionalismus,** de quo jam locuti sumus, et secundum quem Deus quodammodo immediate a nobis attingeretur.

Argumentum 1. (per **exclusionem**)

Dei existentia nobis non est immediate nota, si cognosci nequit, neque ulla experientia, sive **interna,** sive **externa,** neque emotione vel **affectu caeco,** neque ideis **innatis,** neque modo **"analytico",** uti aiunt; atqui, Dei existentia **nullo** ex his modis nobis innotescit; **ergo,** Deum existere non est veritas immediate nota.

Ad mai. Sunt illi modi, qui a diversis adversariis proponi solent, de quibus jam fusius locuti sumus. Disjunctio videtur omnino completa, cum alia possibilitas excogitari nequeat, quin possit reduci ad unam vel alteram ex sententiis in maiore enumeratis.

Ad min. 1) **non** experientia, neque **interna,** neque **externa,** quia Deus est ens supersensibile; 2) **non affectu caeco,** licet spirituali, uti inculcant. Nam, affectus ut talis **nulla** est **cognitio,** sed eam plane praesupponit, uti vidimus ex psychologia; et si adversarius nihilominus

affirmare vult aliquam cognitionem, tunc sibi contradicit, cum "cognitio caeca" sit contradictio in terminis. 3) Non ideis **innatis**; a) tales nos non habere de Deo, jam alibi probatum est; et b) etsi tales in nobis existerent, non eo ipso esset cognitio innata, cum **idea** et **cognitio** non sint eo ipso synonyma. V. gr. hominem esse animal rationale, est aliqua cognitio, quae sua ex parte supponit pluras ideas. 4) Deus non nobis innotescit cognitione **"analytica"**, uti aiunt. Aliqua notio vocatur analytica, si identitas subiecti et praedicati immediate cognoscitur ex sola et simplici analysi conceptuum; v. gr. 2+2=4; ideoque vocatur judicium **"per se notum"**; hoc ontologistae applicare volunt ad nostram cognitionem de Deo et dicunt, **"Deum existere"** esse judicium **per se** notum. Recte respondent scholastici: dist., est judicium per se notum **quoad se** i. e., **ontologice**, conc.; est per se notum **quoad nos**, i. e. **logice**, nego.

Argumentum 2.

Deum existere est realitas "**metempirica**" (i. e. quae nullo modo empirice et sensibus attingi valet); atqui talis evidenter numquam immediate cognosci potest hac in vita. Ergo, Deum existere non est veritas immediate nota.

Corollarium: 1) Non debemus confundere **ontologismum** cum **illuminatismo** Sancti Augustini. Secundum S. Doctorem Deus jam in ordine naturali nos illuminare debet aliquo lumine speciali, licet naturali, ut possimus cognoscere veritates et obiecta naturalia; in oppositione **ad aristotelicos**, qui defendunt intellectum agentem. Nunc, dicere, Deum directe illuminare animam nostram, ut anima mediante illo lumine cognoscat Deum, evidenter non est idem ac dicere, Deum immediate a nobis cognosci posse. Ontologistae proinde sine ulla ratione appellare conantur ad auctoritatem S. Augustini. Ipse sese defendere solebat contra similes interpraetationes, uti scimus ex historia philosophiae.

2) Ex thesi clare sequitur aliud assertum, scilicet, existentiam Dei stricte probari posse. Nam, Dei existentiam certo cognosci posse, sequitur ex thesi 1.ª; porro, hanc cognitionem non posse esse immediatam, modo vi-

dimus in thesi 2.ª; ergo cognitio Dei erit mediata, scilicet, per demonstrationem.

Argumenta pro Dei existentia probanda sunt sequentia:

1) Argumentum **cosmologicum,** in quo proceditur ex "abaleitate" rerum mundanarum.

2) Argumentum **cinesiologicum,** in quo probatur Deus ut primus motor immobilis ex rerum mundanarum continua mutabilitate.

3) Argumentum **tychologicum,** in quo probatur Deus ut ens absolute et metaphysice necessarium ex rerum contingentia.

4) Argumentum **climacologicum,** in quo Deus ut ens perfectissimum colligitur ex rerum imperfectione.

5) Argumentum **teleologicum,** in quo Deus ut architectus sapientissimus probatur ex rerum sapientissima ordinatione ad finem, vel ex finalitate rerum.

6) Argumentum **eudaemonologicum,** in quo probatur Deum existere ex desiderio beatitudinis, i. e., ex naturali quadam inclinatione perfectae felicitatis.

7) Argumentum **deontologicum,** in quo probatur Deus ut auctor legis ac sanctionis moralis.

8) Argumentum **ethnologicum,** in quo probatur Deus ut ens supremum et extramundanum ex constanti et universali persuasione populorum.

9) Argumentum **chronogonicum,** in quo probatur Deus ut ens stricte et absolute aeternum ex temporalitate rerum mundanarum.

10) Argumentum **henologicum,** in quo probatur Deus ut ens unum et unicum ex multitudine et multiplicitate rerum.

11) Argumentum **ideologicum,** in quo probatur Deus ut ens summe reale ex rebus possibilibus, vel ex earum essentiis.

12) Argumentum **entropologicum,** in quo Deus probatur ut aliquod principium supremum ex principio entropiae.

13) Argumentum **anthropologicum,** in quo probatur Deus ut spiritus et supremus et unicus auctor animae nostrae spiritualis.

14) Argumentum **biologicum,** in quo probatur Deus ut causa et radix ontologica omnis vitae, sive sensitivae, sive vegetativae.

15) Argumentum **thaumatologicum,** in quo probatur Deus ut causa, ultimatim unica sufficiens ad opera stricte supernaturalia rite explicanda.

16) Argumentum **christologicum,** in quo invicta certitudine probatur, Christum Jesum, Dominum Nostrum, non tantummodo esse personam vere historicam, sed simul esse Deum.

Ultima duo argumenta generatim tractari solent in tracatu apologetico vel in theologia fundamentali. Argumentum entropologicum generatim non solet proponi propter controversiam inter ipsos physicos relate ad hanc celeberrimam legem entropiae. Reliqua argumenta supra enumerata generatim inveniri solent in compendiis, quamvis non omnes concordent relate ad argumentum eudaemonologicum, uti adhuc videbimus. Antequam autem incipiamus cum singulis argumentis, debemus breviter repetere **principia metaphysica,** necnon refutare argumentum simultaneum, utpote falsum conatum ad Dei existentiam probandam.

PRINCIPIA IN THEODICEA SAEPE

ADHIBENDA

I. PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS:

Quod principium ita sonare solet: **"Nihil potest simul esse et simul non esse sub eodem respectu"**, vel: **"Nihil potest simul esse verum et simul esse falsum"** Explicatio ulterior supponitur in Critica (cf. Frick, Logica, n. 273 sqq.; Th. L. c. 3 a 4, n. 19). Cum argumentatio proprie dicta sit impossibilis, sequitur brevissima **illustratio:** Si principium contradictionis non valeret, tunc rueret omnis scientia et sequeretur scepticismus absolutus et universalis. Nam, si idem et sub eodem respectu posset simul esse et simul non esse, vel simul esse verum et simul esse falsum sub eodem respectu, tunc nulla cognitio esset certa. Atqui non nisi cognitio certa potest esse scientifica, uti supra vidimus in introductione; ergo, negato primo hoc principio, eo ipso negaretur quaelibet scientia.

Nota: Insuper evidens est, hoc principium sensu stricto probari non posse, cum supponatur in qualibet argumentatione ut plane evidens.

II. PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS:

Quod principium ita sonat: **"Nihil existere potest sine sua correspondenti ratione sufficienti"**, vel in sua forma positiva: **"Quidquid existit, necessario debet habere suam rationem sufficientem"**, et quidem vel in se vel in alio.

Illustratio: Secus rueret ipsum principium contradictionis, quia secus aliquod ens posset simul esse et simul non esse et quidem sub eodem respectu; quia sufficientia est idem ac perfectio, perfectio idem ac entitas;

ideoque, si hoc principium non valeret, tunc aliqua entitas existere valeret sine entitate, quod est aperta contradictio.

III. PRINCIPIUM CAUSALITATIS:

Agitur de causalitate efficienti et ita sonat: **"Quidquid incipit esse, necessario habet suam causam efficientem"**; vel, **"quidquid contingenter existit, necessario habet suam causam efficientem"**, et quidem extra se, uti per se patet, (cf. Frick, Ontologia, p. 195-200). **Kant** cum sua schola negare valorem obiectivum huius principii, est sufficienter notum. **Scholasticos** autem omnes, sine ulla exceptione, admittere nostrum principium, est aeque evidens. Tamen quoad modum explicandi hoc principium orta est aliqua controversia inter scholasticos modernos. Alii putant, esse analyticum, alii hoc negant (cf. De Vries, Critica, p. 63). Qui defendunt, esse principium analyticum, fere ita ratiocinari solent:

Contingens est idem ac ens **non-necessarium**; atqui id, quod non necessario existit, evidenter **non** potest habere sufficientiam **in se ipso** ad existendum; ergo indiget alio, a quo **determinari** vel **causari** debet ad existendum; ergo ens contingens, ut de facto existat, causari debet ab aliquo alio; ergo ens contingens ex suo conceptu **metaphysico** non existit, nisi per **causam aliquam**, ideoque principium causalitatis recte ita sonat: **"Quidquid contingenter existit, causam sui sufficientem habet"** (cf. Hontheim, Theod., p. 22). — Cuius ratiocinii conclusio ultima est haec: Proinde videtur, principium causalitatis esse vere **analyticum**, cum ex **sola** et **nuda** et **simplici** ipsius conceptus **analysi** cognosci valeat. Quaeque analysis, uti aiunt, nobis novam cognitionem praeberet, in oppositione ad illa, quae affirmat Kant in sua Critica rationis purae.

Alii, uti supra dictum est, aliter ratiocinari solent. At, ultimum responsum dare non est nostrum, praesertim non in hoc tractatu nostro, cum totum problema pertineat ad Criticam. Si quis pluriora de his scire cupit, legat articulum ipsius **Steffen**, qui bene elaboravit nostram quaestionem (cf. Steffen Antonius, O princípio da causalidade é analítico ou não? — "O Seminário", 1945, num. 4).

IV. PRINCIPIUM AXIOLOGICUM:

Praenotanda: 1) Sunt, qui adhuc ponunt principium finalitatis, faciendo aliquam distinctionem inter illud et principium axiologicum. Cum **Hontheim, Rast, De Vries** et cum fere omnibus scholasticis consideramus utrumque **ut unum idemque** principium, uti de facto est. 2) Principium finalitatis vel axiologicum habere valorem absolutum, saltem Dei **existentia supposita,** vix aliquis ex scholasticis negare audeat. Sed quaestio est, utrum sit principium stricte **metaphysicum,** scilicet, utrum valeat **independenter** a Dei **existentia** a nobis **cognita,** an non? — Fere omnes scholastici, tum veteres tum moderni, videntur respondere omnino **affirmative.** Sufficit legere eorum compendia ad talem persuasionem obtinendam. Sic v. gr. **Frank, Froebes, Cathrein, Frick, Urráburu, Haan, Donat** et alii simpliciter **supponunt** hoc principium in suis argumentis, nihil omnino cogitando de aliqua controversia, quam proinde in ultimis tantum temporibus ortam esse videtur inter scholasticos. Non desunt, qui optima argumenta afferunt in defensionem principii finalitatis vel axiologici. **Hontheim** v. gr. elaboravit **13 argumenta** in favorem principii axiologici (cf. Hontheim, Theodicea, p. 28-40). **Rast unum** tantum sed optimum affert in suo compendio (cf. p. 45-46). Nihilominus non desunt, quin putent, principium finalitatis vel axiologicum valere **tantum,** Dei **existentia supposita** ut a nobis cognita; ita v. gr. **De Vries** in sua Critica, (p. 91). Attamen, sibi constare non semper videtur, cum v. gr. in **pagina 85** eiusdem compendii idem principium simpliciter ut legitimum supponat, et quidem nostro sensu. In toto casu cum **Rast, Hontheim, Nink** et aliis **positive** defendimus celeberrimum principium, afferendo 2 argumenta, quae videntur peremptoria:

Argumentum 1. (Ex comparatione cum principio **causalitatis**)

Principium causalitatis est vere metaphysicum, uti **vidimus. Nam, nexus inter effectum et causam est immediatus** et immediate a nobis notus; **atqui,** nexus inter tendentiam naturalem et eius causam finalem est aeque **immediatus** et **nobis** immedite **notus; ergo,** si principium

causalitatis est metaphysicum, (quod De Vries omnino concedit), tunc principium axiologicum vel finalitatis erit aeque bene metaphysicum (cf. Rast, p. 45. n. 2).

Argumentum 2. (Ex eius nexu cum principio **rationis sufficientis**)

Si principium axiologicum posset deficere, i. e., si non esset stricte metaphysicum, tunc neque principium rationis sufficientis maneret cum suo valore; **atqui** principium rationis sufficientis est stricte metaphysicum et habet proinde valorem absolutum; **ergo** tunc principium axiologicum est aeque bene metaphysicum.

Ad mai. Nam, ut illa tendentia naturalis non sit vana, i. e., ut habeat rationem **sufficientem** ad existendum, requiritur, ut illud obiectum, in quod illa facultas naturalis tendit, de facto **existat,** et de facto **attingi valeat.** Si illud obiectum non existeret, vel si quidem existens, tamen nullo modo attingi posset, tunc de facto nulla esset ratio sufficiens pro illa facultate vel tendentia naturali et sic saltem in talibus casibus principium rationis sufficientis deficeret, quod est sane impossibile, cum hoc principium sit stricte metaphysicum, proinde omnino **universale** et sic nullam admittere possit exceptionem.

Ad min. principium rationis sufficientis esse stricte metaphysicum, clare ostendimus in II.° puncto huius capituli. Ceteroquin clare probatum est in Ontologia; (cf. Frick, Ontol. pg. 195-196).

COROLLARIUM: 1) Vocabulum "axiologicum" provenit ex graeco **"áxion",** = valor, ideo nomen **"Wertprincip";** Ita sonare solet: **"Natura non deficit in necessariis";** vel, **"natura non potest esse essentialiter manca";** vel **"ordo universalis rerum est essentialiter rectus";** vel **"intellectus non potest per se falli";** (cf. Hontheim, Comp. pg. 29). 2) Recte dicit Hontheim in eadem pagina: "Principium axiologicum tamquam immediate evidens ab omnibus hominibus sponte naturae admittitur, etsi saepe modo parum conscio. Revera hoc principium sanae naturae et menti non potest esse non per se manifestum ideoque demonstratione non indiget. Neque enim proprie loquendo demonstari potest, quia nulla est veritas essentialiter clarior, per quam lumine vere altiori imbua-

tur." (ib. pg. 29). 3) Ideoque nostra argumenta allata sunt potius demonstrationes sensu latiori, uti patent. 4) Si dicitur **"naturam non posse deficere in necessariis"**, tunc talis affirmatio non valet eo ipso pro **qualicumque** desiderio naturali. Ideo optime inculcat Hontheim: "Cavendum est, ne principium axiologicum confundatur cum principio, quod desideria naturalia impleri possunt, quamvis haec duo principia sint affinia. Nimirum desideria naturalia non implentur necessario, nisi quando et in quantum ordo entis universalis esset absolute detestabilis, si tale desiderium non impleretur vel posset non impleri; (i. e. "per se" impleri debet). Quare in singulis casibus diligenter videndum est, num in aliquo desiderio, quod quis appellat naturale, condicio illa impleatur, ne argumentatio evadat minus solida". (Hontheim, theodicea, pg. 39). **Nota:** Principium axiologicum sensu stricto applicari debere quoad desiderium beatitudinis in homine, suo tempore clare videbimus.

His praesuppositis, accedere possemus ad argumenta pro Dei existentia exponenda. Nihilominus melius erit, antea breviter refutare falsum conatum ipsius argumenti **ontologici**, uti vocari solet.

THESIS 3. Existentia Dei probari nequit a priori neque a simultaneo.

De historia argumenti ontologici: Primo propositum est a **S. Anselmo** (saec. XI) In duobis sequentibus saeculis auctores vix cogitabant de hac quaestione. Sic v. gr. neque **S. Albertus Magnus,** neque **Henricus Gandavensis** sese decidere volebant nec pro nec contra. Pauci, uti v. gr. **Alexander Halensis, S. Bonaventura, Duns Scotus** etc. videntur agnovisse aliquam probabilitatem huic argumento. Tantum saeculo XVI.° et in sequentibus coeperunt renovare argumentum ontologicum, uti v. gr. **Cartesius** et postea **Leibnizius.** Nec desunt hodie, qui pro eo pugnant. Contra argumentum sese declarant Gaunilo, S. Thomas, Suarez et post S. Thomam fere omnes scholastici. Hac in re cum illis concordat Kantius, quamvis non semper ex eisdem rationibus. Kant omnia argumenta pro Dei existentia ad ontologicum reducere vult . Etiam nomen ortum est a Kantio, quia procedit

independenter ab experientia ex sola notione Dei. (Kritik der reinen Vernunft, pg. 650, etc.).

Notiones: I. Argumentatio a **priori:**

Est illa, quae procedit ab illo, quod est ontologice prius ad illud, quod est ontologice posterius; vel breviter, in argumentatione a priori proceditur a **causa** ad eius **effectum;** v.gr. cognosco Joannem ut hominem valde pium et summe honestum; ex hoc "a priori" colligi licet, eius familiam esse bonam et honestam. Porro, ipsa prioritas iterum potest esse duplex, scilicet,

1) prioritas **logica:** adest, si proceditur ab illo, quod est **logice** prius ad illud, quod est logice posterius. Ita **praemissae** in syllogismo **semper** sunt **logice** priores ipsa conclusione, sed non eo ipso ontologice; solummodo in argumentatione a **priori** ipsis praemissis convenit **duplex** prioritas, tum logica, tum ontologica. Aliud exemplum pro prioritate logica: V.gr. pro nobis existentia rerum visibilium est prior quam existentia Dei, evidenter non prioritate ontologica, sed tantum prioritate logica, i.e. in nostro intellectu cognitio mundi est prior cognitione Dei;

2) prioritas **ontologica:** adest, si proceditur ab illo, quod est ontologice prius ad illud, quod est ontologice posterius, uti modo vidimus supra et de qua erit quaestio in thesi, saltem quoad primam partem. Quae prioritas ontologica est iterum triplex: a) ratione **dignitatis;** v.gr. pater prior est filio quoad dignitatem, dummodo ne adsit ratio specialis dignitatis in filio, uti v. gr. dignitas sacerdotalis, ets.; b) ratione **temporis;** v. gr. pater iterum prior filio ratione temporis; saepissime causa efficiens est prior effectu ratione temporis, sed non semper. Sic v. gr. substantia est causa efficiens relate ad multa eius accidentia, quae nihilominus illo momento jam causari possunt a substantia, quando haec incipit esse; c) ratione **naturae;** sic causa adaequata ex suo conceptu metaphysico erit semper natura prior ipso effectu; sed non valet de qualicumque causa relate ad effectum. Sic v.gr. pater, quamvis sit causa efficiens filii, non est natura prior filio, cum uterque gaudeat eadem natura humana. **Nota:** In thesi erit praesertim quaestio de prioritate **naturae,** sed etiam de aliis prioritatibus.

II. Argumentatio a **posteriori:**

In hoc casu proceditur ab illo, quod est **ontologice posterius** ad illud, quod est ontologice prius, vel breviter, de effectu ad suam causam efficientem; in scientiis, tum empiricis, tum speculativis, fere omnia argumenta sunt demonstrationes a posteriori, saltem, ubi est quaestio de aliquo facto probando. Ex ipsa definitione elucet, omnia nostra argumenta ad Dei existentiam probandam esse a posteriori. Sed non idem simpliciter valet, ubi erit quaestio de attributis Divinis, quae generatim ex ipso Dei conceptu erui solent. Utique, non erunt argumenta a priori, neque a simultaneo, sed etiam non eo sensu perfecto a posteriori, uti v.gr. argumentum cosmologicum, praecise, quia in Deo nihil inveniri potest, quod sit vel prius, vel posterius.

III. **Argumentum a simultaneo:**

Quod a tempore ipsius Kant vocari solet "ontologicum", uti supra vidimus. In hoc argumento proceditur ab ordine logico ad ordinem ontologicum; in parte II.ª erit quaestio de tali argumentatione et dicimus, eam esse illegitimam.

Pars I. Deum existere probari nequit a priori.

Argumentum: (Ex ipso conceptu prioritatis ontologicae).

Secundum definitionem in hac argumentatione proceditur ab illo, quod est ontologice prius ad illud, quod est ontologice posterius; atqui nullum existit, neque existere potest ens, quod sit ontologice prius ipso Deo; ergo tali modo Dei existentia evidenter nequit probari.

COROLLARIUM ad P.I. Verum est, neminem tale quid affirmare velle; sed propter conceptuum confusionem non raro identificari solent demonstrationes a priori et a simultaneo; ideoque, saltem claritatis causa utile fuit, prius statuere partem primam.

Pars II. Deum existere probari nequit a simultaneo.

Argumentum I. In hoc argumento fit illatio ex ordine pure logico ad ordinem realem et physicum; atqui, talis

illatio est falsa; ergo argumentum a simultaneo est falsum ideoque reiciendum.

Ad min. 1) Illationem de ordine pure logico ad ordinem realem non valere, jam vidimus in Logica, cum intellectus noster rem cognoscendo eam non efficiat, sed eius existentiam potius jam praesupponat; v.gr. dico; 1) **video** Petrum, ergo Petrus existit; 2) **cogito** Petrum, ergo Petrus existit; in 1.° casu illatio est legitima, in 2.° non;

2) ideoque breviter: falsa est illa illatio, quia intellectus noster **non est faciens** veritatem, sed tantum **cognosceus** veritatem.

Argumentum 2. (ex refutatione variarum formarum, sub quibus argumentum ontologicum proponi solet a variis auctoribus, uti statim videbimus in obiectionibus refutandis).

COROLLARIUM: 1) De modo, quo praecise S. Anselmus suum argumentum intelligere vel interpretare voluit, adhuc hodie disputare solent. "Si conceptus Dei jam supponitur ut realis ex S.Scriptura ,sicuti aliqui contendunt, deductio esset quidem valida, non jam esset autem argumentum pro existentia Dei, sed potius explicatio metaphysica. Idem valet, si, ut alii volunt, procedit ex facto cogitabilitatis et aequiparatur argumento ex gradibus". (Rast, Comp. theod. pg. 67 n.° 115).

2) Sunt, qui vel explicite (uti v.gr. Silvester Maurus) vel saltem implicite (uti aliqui scholastici in certis compendiis) loqui solent de Dei **"possibilitate"**; talem modum concipiendi esse prorsus **falsum,** statim videbimus: nam, uti aliunde clare constat, debemus hic inculcare, Deum esse ens metaphysice **necessarium;** atqui tale ens non potest vocari **"possibile"** sensu stricto, neque **praecisive,** a fortiori neque **absolute;** ergo Deus **nullo** modo dici potest **"possibilis"; probo min.**: Nam, 1) possibile **absolute** sumptum est ens, quod quidem **non** existit, tamen existere **posset;** Deum tali sensu vocari **non** posse "possibilem", est evidens cum postea 16 argumentis probemus Deum de facto existere; 2) "possibile praecisive sumptum est ens, quod potest existere, tamen omnino **abstrahitur,** utrum de facto existat, an non. Deum etiam hoc

secundo modo **non** posse vocari "possibilem" est aeque evidens; nam, (uti etiam aliunde scimus) **existentia** pertinet ad conceptum **metaphysicum** Dei, ita ut **metaphysice** repunegt, una ex parte abstrahere de Dei existentia, et tamen altera ex parte habere conceptum legitimum de Deo.

Obi. 1. Non raro fit illatio ab ordine pure logico ad ordinem ontologicum; **Resp.** nego assertum; — **probo assertum;** v.gr. ex conceptu hominis fit illatio ad eius proprietates. **Resp.** Conc. talem illationem esse legitimam, sed nego esse illationem ab ordine pure logico ad ordinem realem.

Obi. 2. Existentia Dei continetur in eius conceptu; ergo, ex eodem colligitur. **Resp.** Dist. assertum; hoc scimus supposita existentia ut probata, conc.; independenter; nego.

Obi. 3. Argumentum ideologicum est legitimum; ergo etiam ontologicum, cum sit essentialiter idem.

Resp. conc. assertum et nego consequens, cum sint argumenta essentialiter diversa; nam, ideologicum est evidenter a posteriori, uti suo loco videbimus.

Ob. 4, (Ad modum S. **Anselmi) "Deus est ens, quo maius cogitari nequit";** atqui tale debet realiter existere; (quia secus maius cogitari posset). Ergo Deus existit; (et sic probatio S. Anselmi videtur optima).

Resp. Dist. mai.: et hoc scimus a posteriori; concedo; alio qualicumque modo, nego. Conc. min. et data dit. in mai., nego cons.

Obi. 5. Illud debet existere, quod nequit cogitari non existere; atqui Deus nequit cogitari non existere; ergo, existit.

Resp. Conc. mai. et dist. min.: hoc scimus tantum a posteriori, conc.; aliter, nego; etc.

Obi. 6. (Ad modum **Cartesii)** Quidquid in idea clara rei continetur, debet affirmari de ipsa re; atqui existentia continetur in idea clara Dei ergo, etc.

Resp. Solutio est similis uti in obiectione praecedenti.

Obi. 7. (Ad modum **Leibnizii)** In Deo sunt tantum perfectiones simplices; atqui si posset non existere, non ita esset; **ergo existit.**

Resp. Iterum similis solutio uti in duabus obiectionibus praecedentibus.

Obi. 8. (Ad modum **Silv. Mauri**) Deus est ens carens omni imperfectione; atqui tale ens est possibile; ergo Deus est possibilis.

Resp. (extra formam) 1) iterum dicendum est, maiorem constare tantum a posteriori et non aliter; et 2) nego simpliciter min.; nam tale ens proprie non potest vocari "possibile" sensu stricto, neque absolute, neque praecisive, uti ostendimus supra in corollario n.° 2.°.

Obi. 9. Deus est ipsum esse; atqui tale ens non potest non esse; ergo, etc.

Resp. Iterum similiter respondendum uti in obi. 5. et obi. 6. et obi. 7.

PARS II

ARGUMENTA PRO DEI EXISTENTIA AFFERUNTUR

PROLEGOMENA

Jam probavimus, Dei exisentiam certo cognosci posse, licet non immediate, sed tantum mediate. Deinde refutavimus argumentum ontologicum, utpote conatum illegitimum ad Dei existentiam probandam. Nunc erit tampus legitima argumenta proponendi. Esse summi momenti, non tantum Deum certo cognoscere, sed praesertim eius existentiam rite demonstrare, non solum constat ex interna huius quaestionis natura, sed etiam ex tota philosophiae historia invicte elucet. Re vera, omnes gentes et populi hac investigatione occupati sunt, testibus inquisitionibus ethnologicis; cf. Andrew Lang et W. Schmidt S.V.D.). Praesertim philosophi graeci et romani diversa elaboraverunt argumenta ad Dei existentiam probandam, inter quos eminent **Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca** et **Marcus Aurelius. Socrates** jam proposuit argumentum teleologicum, cosmologicum et deontologicum, licet non in illa forma tam perfecta, uti postea scholastici et ex parte jam Aristoteles. **Plato,** praeter primum et tertium argumentum magistri (cuius discipulus praedilectus semper erat) excogitavit praesertim argumentum ethonologicum necnon tychologicum. In scriptis ipsius **Aristotelis** invenitur praeter argumentum teleologicum ipsum cinesiologicum. **Cicero** in suo celeberrimo libro "De natura deorum" contra atheos illius temporis Dei existentiam fortiter defendit suo argumento teleologico.

Quod studium circa Dei existentiam rite probandam maxime floruit in aevo christiano, praesertim in epocha patristica ,in qua praeeminet **S. Augustinus. "Deus et anima"**, ecce, obiectum principale omnium eius investiga-

tionum! **"Noverim me et noverim Te! Deum et animam scire cupio. Nihilne plus? Nihil omnino!"** — Deu existentiam optime probat argumento teleologico speciatim autem argumento **eudaemonologico,** exclamando: "Fecisti nos Domine, ad Te, et inquietum cor nostrum, donec requiescat in Te!" — Postea praesertim scholastici in medio aevo ulterius progredi conabantur in Dei existentiae argumentis excogitandis vel saltem perficiendis. Inter quos primatum tenet **S. Thomas** cum suis **"quinque viis",** de quibus in Summa theologica, Tomo I.°, P. 1.ª, Quaest. 2.ª, art. III.°. Ibi interrogat; "Utrum Deus sit", respondendo: "... Deum esse quinque viis probari potest — **Prima** autem et manifestior via est, quae sumitur ex parte **motus**... **Secunda** via est ex ratione causae **efficientis**... **Tertia** via est sumpta ex **possibili** et necessario... **Quarta** via sumitur ex **gradibus** qui in rebus inveniuntur... **Quinta** via sumitur ex **gubernatione** rerum..." — ib. pg. 17-19). In his "quinque viis" clare continentur 5 ex nostris 16 argumentis, scilicet; Argumentum **cinesiologicum,** argumentum **cosmologicum,** argumentum **tychologicum,** argumentum **climacologicum** et argumentum **teleologicum.** Quoad argumentum tychologicum dicendum est, Doctorem Angelicum adhuc non tam clare distinguere inter conceptum **"contingentiae"** et **"possibilitatis"** in oppositione ad scholam **Dominicanam hodiernam,** quae inter utrumque conceptum rite distinguere solet. (Cf. **Manser** in suis praelectionibus philosophicis in Universitate Friburgensi Helvetiae). — Post S. Thomam, praesertim ab initio saeculi 19, scilicet, tempore philosophiae neoscholasticae, nova elaborare coeperunt argumenta ad Dei existentiam probandam, uti v. gr. argumentum entropologicum, argumentum biologicum, etc.; et sic paulatim per decursum saeculorum orta sunt 16 illa argumenta, de quibus erit quaestio in nostra parte II.ª, quaeque, sive seorsim, sive collective sumpta, constantem et sollemnem apologiam constituere solent contra nefandum modernorum paganismum necnon atheismum. Contra quos ipse auctor sacer jam sese dirigit in libro **Sapientiae:** "Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex;... a magnitudine enim speciei et creaturae cog-

noscibiliter poterit creator horum videri". (Lib. Sap. XIII. v. 1. et 5).

THESIS 4. Existire Deum tamquam ens a se probatur ex existentia rerum ab alio. (= Argumentum **cosmologicum**).

Brevissimus conspectus de rerum ordine:

ENS A. A SE

B. **ab alio** I. **reale** (vel objectiv., concret., sing., ontol.) 1) **physicum** (act.)
2) **metaph.** (possib).

II. **ideale** (subject., abstract., univers., log.)
1) **sine fundamento**
2) **cum fund.** : a) **perf.**; b) **imp.**

Nota: Conspectus **completus** invenitur in fine tractatus, scilicet, in appendice.

Deinde **notandum:** Ad inutiles controversias evitandas inter **Thomismum** et **Molinismum** retinendum erit, distinctionem rationis cum fundamento perfecto Molinistarum esse practice idem ac distinctionem realem metaphysicam Thomistarum!

Praeterea inculcandum, hic non eese locum per longum et latum exponendi conceptum entis supremi; 1) cum hoc fieri debeat postea, sive in ipso argumento, sive in sequentibus; et 2) quia res principalis erit (saltem proxime) ostendendi **modum, quo** entis supremi existentia invicte colligi valeat ex entibus mundanis. **Evidens** est, in singulis argumentis simul cum existentia entis supremi etiam unam vel plures notas (sive explicite sive saltem impicite) ex respectivis praemissis erui posse. Proinde sufficiant perpauca relate ad ipsos conceptus entis ab alio et entis A SE.

Conceptus: 1) Ens **ab alio;** est ens, quod in se ipso **nullam** habet **sufficientiam** pro sua propria existentia sed totam sufficientiam accipit et accipere debet ab alio ente; quare dici solet ens **"ab alio";**

2) Ens **A E;** est ens; quod **in se** ipso habet sufficientiam omnino adaequatam tum pro sua propria exi-

stentia, tum pro existentia omnium aliorum entium, sive actu sive possibiliter existentium; ideoque habet sufficientiam **non** ab alio, sed a **se ipso**; ideo nomen ens **"A SE"**; verum est, haec omnia in thesi non simpliciter supponi, sed potius **erui** debere in argumento, uti modo diximus. Cum Deus omnem sufficientiam **a se** habeat et a fortiori sit ens in se **subsistens** et a fortiori sit **substantia**, poni potest sequens schema:

Deus = 1) ens **"in se"** (= substantia)
= 2) en **"per se"** (= subsistentia)
= 3) ens **"a se"** (= ipsum esse)

Notanda: De ipsis entis Divini **proprietatibus** singillatim erit quaestio in singulis thesibus huius partis **secundae**, necnon et quidem fusius in parte **tertia.** Quare sufficiat pro momento enumerare proprietates vel attributa dicendo:

1) Deus est ens **necessarium**, et quidem necessitate intrinseca, metaphysica et absoluta; proinde est

2) ens **incausatum**, sed causa et radix ontologica omnium aliarum reum;

3) est ens stricte **infinitum** et consequenter **"ACTUS PURUS"**;

4) est plenitudo omnis **perfectionis**, continens perfectiones **infinitas** per absolutam **identitatem**, finitas autem non nisi **analogice** vel **"aequivalenter"**, uti aiunt, sive **virtualiter** uti perfectiones **mixtas**, sive **et** virtualiter **et** formaliter uti perfectiones **simplices**, ambasque tamen **eminenter.** Pluriora de his videbimus in thesi de Dei perfectionibus in P. III.ª). Finaliter dicendum est,

5) Deum esse absolute **unum** et **unicum, simplicem simplicitate** metaphysica, esse

6) **Immutabilem, immensum** et **aeternum** et ens **personale.**

Adversarii: Sunt positivistae et **empiristae** uti **Hobbes, Locke, Hume;** Aug. **Comte, Stuart Mill, Spencer** et alii; breviter omnes illi, qui negant nos aliquid scire posse ultra experientiam nostram, vel qui negant principium causalitatis. **Kant** esse adversarium specialem huius theseos, elucet ex eius libro "Kritik der reinen Vernunft"; (cf. pg. 658-672), in quo in ludibrium vertit et ipsum argumentum et eius defensores.

Sensus theseos: Ex existentia rerum ab alio facimus illationem ad existentiam entis **"A SE"**, scilicet, Dei utpote illius entis, quod existit **vi sui ipsius** i. e. vi suae propriae essentiae (ideoque existentia Dei est de eius essentia), quodque ens proinde habet **A SE OMNEM SUFFICIENTIAM PRO SE ET PRO OMNIBUS CETERIS ENTIBUS; Nota:** argumentum cosmologicum esse summi momenti et quodammodo fundamentum pro multis aliis argumentis huius partis secundae, probatione vix indiget.

Argumentum:

Sumatur aliquod ens, v. gr. domus, planta, vel homo etc.; hoc ens evidenter non est a se sed **ab alio** (quia in se non habet sufficientiam ad existendum), quod ens iterum erit ab alio, et sic oritur aliqua **series entium, quae sunt ab alio. Atqui,** quae series entium ab alio **necessario** supponit aliquod ens **A SE;** ergo tale ens de facto existit.

Ad min. Nam **omnia** entia huius seriei sunt **ab alio,** uti vidimus; porro, singula entia ab alio ex suo conceptu metaphysico **non habent sufficientiam** pro sua propria **existentia** et a fortiori non pro existentia aliorum; **atqui** quod valet pro singulis entibus seorsim valet aeque bene immo, a **fortiori** pro **tota** serie simul; nam, si singula entia seriei sibi non sufficiunt, tunc a fortiori omnia **simul** sibi non sufficiunt. (Sic. v. gr. si unus parvulus modo natus sibi absolute non sufficit ad existendum et ad existentiam conservandam, tunc a fortiori multi parvuli modo nati sibi non sufficiunt, quia cum numero infantulorum eo ipso crescit etiam eorum indigentia, saltem extrinsece). **Ergo** tota series entium ab alio, quantumvis fingatur esse magna, insufficiens est ad existendum.

Ergo extra et **supra** illam seriem entium ab alio **debet** existere aliquod ens, quod non sit ab alio, sed **A SE,** i. e. **ens, quod in se et a se totam** habeat sufficientiam pro sua existentia propria et pro existentia omnium ceterorum entium illius seriei.

COROLLARIUM: Uti vidimus, in nostro argumento **abstrahimus,** utrum series infinita sit possibilis, an

non. Argumentatio **nullo modo** pendet a tali quaestione, uti clare elucet ex tota expositione argumenti. Attamen sunt, qui argumentum cosmologicum ita proponunt, procedendo ab impossibilitate seriei stricte infinitae, in quo casu argumentum fere sequenti modo proponi solet:

Teste experientia, mundus externus constituit aliquam seriem entium ab alio; in hac serie aut pervenimus tandem aliquando ad aliquod ens primum, quod non sit ab alio, sed a se, tunc habetur thesis; aut numquam pervenimus ad ultimum ens, ita ut habeatur series infinite magna entium ab alio; atqui, hoc ultimum repugnat. Ergo, remanet tantum primum, et sic sequitur thesis.

Ad min. Seriem stricte infinitam absolute repugnare, probatur dupliciter, sc. 1) in **genere**; i. e. **quaelibet** series stricte infinita repugnat, licet non sit series causarum. Nam, videtur esse **contradictionem** in terminis, quia series ex suo conceptu habet initium, ens stricte infinitum non; ideoque, infinitum est unum ex attributis stricte Divinis, sicut adhuc fusius explicabitur. Numerum infinite magnum repugnare, illustratur aliquo exemplo: Supponamus numerum infinitum **hominum!** Aut essent **tot** bracchia, **quot** homines, quod evidenter esset absurdum; aut esset **bis** numerus infinitus bracchiorum, quod iterum repugnat, cum infinitum stricte dictum evidenter non admittat gradum. Ergo, series actu infinite magna absolute repunagt, etsi non agatur de serie causarum efficientium.

2) In **specie**; a fortiori **series infinita causarum efficientium** repugnat:

Nam, pro quolibet effectu cuiuscumque membri seriei **deficeret ratio sufficiens**; Illustrare solent hoc exemplis: a) In aliqua **catena** quilibet annulus sustentatur ab alio annulo; si nullus existeret ultimus annulus, v. gr. aliquo clavo affixus, tunc tota catena penderet in aere, quod est impossibile; b) in aliqua serie **speculorum** unum speculum reflectit imaginem alterius et hoc iterum alterius, etc.; debemus tandem aliquando pervenire ad aliquod **primum** speculum, quod directe ab ipso obiecto accipiat suam imaginem, secus nulla adesset ratio sufficiens pro imagine singulorum speculorum; c) idem alio modo: 1 existit, si 2 existit; 2 existit, si 3 existit; etc.;

atqui, si nullum existeret ultimum **inconditionatum,** tunc nullum ens conditionatum seriei existere posset, quia deficeret ratio sufficiens pro entibus conditionatis; ergo tandem aliquando debet existere ens inconditionatum, quod sit primum.

Quo, vel saltem simili modo exponere solent argumentum de celeberrima serie infinita. **Non** omnes **eodem** modo cogitant relate ad valorem huius argumenti. Sed saltem hoc videtur evidens, scilicet, numerum actu et stricte infinitum repugnare, sive in genere, sive in specie sumptum. **Obiectio:** Sed, si series actu infinita metaphysice repugnat, deberet tunc semper repugnare, quod non videtur, cum in Deo ipsa **possibilia** constituant seriem stricte infinitam? **Resp.** De possibilibus fusius adhuc erit sermo. Pro momento sufficiat hoc: Qui ita loquitur, conceptum prorsus illegitimum habet de ordine possibilium; possibilia non possunt numerari neque constituere valent aliquam seriem mathematicam, sicut non raro opinari solent. Nam possibilia sunt ipsa natura Divina, non ut talis, sed ut imitabilis ad extra. Atqui Deus, nec ut talis, nec ut imitabilis ad extra constituit aliquam seriem, uti alio loco adhuc clarius videbimus.

Scholion: Cur Kant non vult admittere nostrum argumentum? Cur simpliciter negat valorem omnium argumentorum scholasticorum in favorem Dei existentiae? Cur tam magna differentia inter convictionem scholasticorum et aliorum philosophorum relate ad Dei existentiam eiusque attributa? Si nostra argumenta sunt tam clara, cur non omnes illa admittunt? Immo, undenam tot diversae opiniones necnon convictiones philosophicae inter ipsos scholasticos relate ad multas quaestiones philosophicas? Solutio facilima erit, ubi agitur de argumentis mere probabilibus et nullo modo certis. Quid autem dicendum, si agitur de argumentis certis? Quomodo alii in dubium vocare vel simpliciter negare possunt illud, quod multis aliis ut prorsus certum intime persuasum est? — Respondemus cum **Rast:** "Moderni saepe postulant certitudinem mathematicam, quae non potest haberi. Obiective seu in se argumenta praebent certitudinem absolutam. Nam fundantur in factis absolute certis et in principio metaphysico causalitatis. Item in processu lo-

gico nullum membrum deest. Subiective vero gignunt evidentiam solummodo mediatam ideoque certitudinem **liberam.** Rationes sunt: Supposita ex criteriologia et metaphysica non sunt immediate evidentia. Concatenatio syllogismorum nequit uno intuitu apprehendi, ita ut vis argumentorum, quae imprimis habetur in conexione membrorum, non videatur stringens. Ex impossibilitate conspectus totius conexionis intercedant oportet memoria et voluntas, quae semper relinquunt locum dubio, saltem imprudenti. Denique influunt passiones deordinatae et obscuritates". (Rast, Theolog. Naturalis, pg. 19). His verbis ipsius Rast addendum erit adhuc **affectum**, scilicet, elementum fere principale in psychologia et vita humana, etiam, si agitur de veritatibus mere intellectualibus, uti aiunt, dummodo ne adsit evidentia vere immediata. Nihilominus ne in hoc ultimo casu quidem deesse solent adversarii, uti constat ex Critica et historia philosophiae. A fortiori tunc inculcandum erit, quod modo diximus, et quod tam clare elucet ex psychologia moderna, scilicet, elementum **"emotionale"** constituere **factorem elementarem** et influxum essentialem in **tota** nostra vita psychica.

Obi. 1 Saepe fit, ut maior collectio entium valeat efficere, quod singula sola et seorsim sumpta non valent; sic v. gr. unus equus saepe non valet trahere currum, sed 3 vel 4 simul. Ergo a pari, sc. **infinita** entium series rationem sufficientem pro existentia habere potest.

Resp. Nego paritatem. Nam in exemplo allato quilibet equus habet **aliquam** saltem vim vel energiam ad currum trahendum. In illa serie autem (de qua in 2.° argumento, sc. in Corollario) singula entia nullam prorsus sufficientiam habent. Adversarium errare, clare elucet ex nostro exemplo de illo parvulo modo nato, de quo in nostro argumento. Insuper dicendum, obiectionem adversarii supponere seriem infinitam, de qua constat: a) esse **impossibilem**; b) argumentum nostrum simpliciter **abstrahere** ab ea.

Obi. 2. In Deo sunt multa contingentia, v. gr. eius decreta libera, ergo, Deus non est ens a se, et sic conclusio argumenti est falsa.

Resp. Decreta Dei libera ei nullam entitatem vel perfectionem addunt, sed tantum respectum (rationis)

ad aliquem terminum finitum; (cf. celeberrima comparatio cum sole eiusque radiis relate ad diversa obiecta huius mundi, quamvis non sit perfecta similitudo, uti patet).

Obi. 3. Forte hic mundus visibilis erit ens a se?

Resp. Absolute repugnat. Ex multis fontibus cognoscimus proprietates resp. conditiones essentiales huius mundi et clare scimus, esse notas **characteristicas** entium **ab alio;** atqui, quod est ab alio, **non** potest esse neque umquam fieri ens **"a se"** Ergo, etc.

THESIS 5. Existere Deum ut ens immutabile, probatur ex rerum mutationibus. (= Argumentum **cinesiologicum**) ....

Nexus: In argumento cosmologico ostendimus Dei existentiam procedendo ab entium ab alio **existentia;** in argumento cinesiologico ulterius progreditur, sc. procedendo ex rerum existentium **mutabilitate,** immo, et continua **mutatione** actuali. Ideo **nomen,** sc. e vocabulo graeco **"kinesis"** = motus vel mutatio.

Notiones: 1) **Motus;** a) sensu **latiori;** quaelibet mutatio rei;

b) sensu **stricto;** est mutatio tantum **localis;** est rei transitus de uno loco ad alium, vel est transitus rei relate ad suas diversas ubicationes; vel est rei successiva acquisitio diversarum ubicationum. Sic v. gr. automobile currens, homo deambulans, etc.; **Nota:** in thesi sumimus motum in **utroque** sensu, i. e. intendimus **quemlibet transitum** rei de uno statu ad alium; sive sit mutatio substantialis, sive accidentalis, sive sit intrinseca, sive extrinseca.

2) **Movens:** Est illud, quod movet aliud ens, i. e., quod influxu suo physico illam mutationem in alio causat. V. gr. equus est ens movens currum; machina movet automobile, etc. Ideo recte vocatur **"motor"** Motor vel ens movens iterum dividitur in ens movens **"mobile"** et ens movens **"immobile"**.

a) Movens **"mobile"** est illud quod non potest movere aliud, quin ipsum moveatur; aliis verbis, non potest causare mutationem in alio

ente, quin ipsum saltem aliquam mutationem patiatur. V. gr. equus non mutat currum ubicative, quin ipse equus simul mutetur. Machina automobile non movet, quin ipsa moveatur, etc. Ex his jam sequitur, quamlibet creaturam non posse esse nisi movens **mobile,** uti statim in argumento expresse ostenditur. Quod movens mobile semper et saltem ab **ipso Deo** impulsum accipere debet, uti clare ostenditur in argumento. Quare ipse **Deus** recte vocatur **"CAUSA PRIMA",** vel etiam **"primus motor",** et sic habemus aliud, = b) Movens **"immobile",** quod movet alia, quin ipsum ullo modo moveatur; aliis verbis; causat mutationes in aliis rebus, quin ullam mutationem in se ipso patiatur. Tale ens esse solum Deum, ex argumento clare sequitur.

Adversarii: Sunt omnes illi, qui omnem veram actuationem in mundo phaenominali negare conantur; qui proinde negant principium: "Quidquid movetur, ab alio movetur". Ita multi pantheistae. Rast inter adversarios etiam illos physicos modernos enumerat, qui admittunt tantum motum mere localem. Cum autem argumentum nostrum procedat ab omni et qualibet forma mutationis, illi physici non necessario sunt adversarii nostri, saltem non propter illam eorum suppositionem. Idem videtur dicendum de schola **Bergsoniana,** quae omne ens in purum "fieri" resolvere vult, nisi forte negare velit veram **actuationem**.

Sensus theseos: A motibus vel mutationibus rerum mundanarum concludimus ad existentiam alicuius **"motoris"** primi et supremi, qui omnes res visibiles vel invisibiles moveat, quin ipse possit moveri, vel quin ipse ullo modo mutari possit. Thesis dividitur in quatuor partes, ut argumentatio fiat clarior.

Pars I. Sunt motus vel mutationes in mundo; (inculcatur contra illos, qui veram actuationem in mundo empirico negare conantur, uti supra vidimus)

Argumentum. Omnis mutatio est transitus rei de uno statu ad alium, vel est rei transitus de aliqua poten-

tia in eius correspondentem actum; **atqui** tales transitus in mundo continuo fiunt, saltem accidentaliter et in multis casibus etiam substantialiter. **Ergo** sunt motus vel mutationes in mundo.

Ad min. Esse mirabilem transitum rerum de uno statu ad alium tum in macrocorsmo tum in microcosmo constat ex astronomia respective ex theoria atomica moderna. Multiplicem et continuum transitum de potentia in actum quilibet homo vulgaris quotidie experiri valet et quidem experientia et interna et externa. Idem praesertim constat ex biologia moderna.

Pars II. Quae rerum mutationes necessario supponunt aliud ens, quod causare debet talem mutationem, sive totaliter, sive saltem partialiter.

Argumentum. Omnis mutatio, uti saepe vidimus, est aliquis transitus de potentia in actum, ideoque oritur aliquod **NOVUM,** quod antea non erat, (quia secus non esset transitus de potentia in actum); **atqui** illud novum **qua** novum, i. e. sub ratione **formali** novitatis non potuit provenire ab ipsa re **SOLA,** (quia nemo sibi ipsi dat, quod non habet, quodque sequitur ex principio **rationis sufficientis**); **ergo** omne ens, quod movetur vel qualicumque modo mutatur, sibi ipsi non sufficit ad hanc suam mutationem causandam; ideoque indiget **alio,** a quo illa **nova** actualitas causetur, sive totaliter, sive saltem partialiter; (quod ultimum valet, si res ipsa etiam agit in illo transitu); **ergo** hae rerum mutationes supponunt aliud ens.

Nota ad **primam concl.** in argumento: Sic ortum est celeberrimum **adagium** philosophicum: **"Quidquid movetur, ab alio movetur"**; quodque adagium debet proinde recte intelligi, scilicet, illo modo, uti explicavimus in minore et non illo modo, uti **Malebranche** putavit, negando omnem creaturarum activitatem vel operationem.

Pars III. Hoc ens saltem ultimatim debet esse ens immobile, vel immutabile.

NOTA ad **P. III.:** Si dicitur **"ultimatim",** hoc non debet falso intelligi, ac si Deus non directe et **immediate**

deberet agere et influere in quamlibet rerum mutationem. Ex thesi de **concursu** videbimus, nullam creaturarum activitatem fieri posse sine directo et immediato Dei influxu. Si dicimus **"ultimatim"**, tunc hoc potius sese refert ad ordinem **logicum;** i. e. **ultimatum** debemus pervenire ad hanc conclusionem, sc., talem rerum transitum de potentia in actum necessario supponere existentiam entis, quod **non sit movens "mobile"**, sed movens **"immobile"**, quia secus semper maneret **insufficientia** pro illis mutationibus, uti statim videbimus. His praesuppositis

Argumentum. Sicut in argumento cosmologico, ita etiam in nostro casu habetur aliqua **series** entium, et quidem in hoc casu entium **"mobilium"** vel **mutabilium;** porro, ex parte II[a] constat, singula seorsim sumpta non habere, neque posse habere sufficientiam **adaequatam** pro sua propria mutatione, (i. e. pro illo novo statu) et aeque bene, immo, a fortiori non pro mutatione alterius, sed debet accipere impulsum ab alio ente. **Atqui,** quod valet pro **singulis mobilibus seorsum** sumptis, valet aeque bene immo, a fortiori pro tota illa serie, i. e. pro omnibus entibus **"mobilibus" simul** sumptis. (NB: utrum sit series **infinita,** an non, de hoc iterum abstrahitur, cum de hoc nihil dependeat pro argumento). **Ergo,** praeter et supra illam seriem entium mutabilium debet existere aliquod ens **"movens immobile"** vel ens stricte **immutabile,** i. e. ens, quod **in se** et **a se** habeat **adaequatam** (ideo infinitam) sufficientiam pro omnibus et quibuscumque rerum mutationibus, et quidem **quin** ipsum moveatur vel modificetur; secus iterum non adesset sufficientia.

Pars IV Hoc ens immutabile est ens "A SE" (= Deus).

Argumentum. Si non esset a se sed ab alio, tunc **non** haberet sufficientiam **adaequatam** pro mutatione aliorum entium, i. e. movendo alia entia, ipsum **eo ipso** deberet moveri **ab alio** (uti vidimus in praecedentibus) et sic non jam esset movens "immobile" sed movens **"mobile"; atqui** in P. III[a] clare probavimus, "ultimatim" requiri ens **"immobile",** ergo non "mobile", ergo non "ab alio"; **ergo,** debet esse **"A SE"**.

NOTA ad partem IV.: Per se, saltem inspiciendo theorem theseos, sufficeret probare, Deum existere tamquam ens immutabile, vel ens movens immobile; sed tamen non erit superfluum, in aliqua parte speciali (sc. P. IV.) probare, hoc ens immutabile esse ens "a se". Ita etiam Hontheim fecit; (cf. Hontheim, Comp. pg. 70). Quod proinde sufficiat hic semel notare etiam pro una vel altera ex sequentibus thesibus, in quibus simile quid valebit.

COROLLARIUM. 1) **Rast** in suo compendio (cf. pg. 31-38) sequentem thesim posuit: "Ex actione empirica rerum infertur Deus ut agens primum". Est sine dubio argumentatio optima et essentialiter cum nostro modo coincidit, uti patet ex ipso argumento (pg. 33). Nihilominus est aliqua differentia. Rast procedit ex **activitate** nos autem ex **mutatione** rerum, quod sane non est plane idem. Utique, omnis **actio** creaturarum est aliqua mutatio, sed **non omnis mutatio** rerum est aliqua rerum **operatio** vel actio. Nam, licet entia mundana **non** possint **movere** alia, **quin** ipsa moveantur, tamen possunt **moveri ab alio** (vel ab aliis) **quin** ipsa **moveant** alia; et sic habetur mutatio, quin sit aliqua actio. Sic fundamentum nostrae argumentationis **latius** patet argumentatione ipsius Rast. Nostrum argumentum coincidit cum I^{a} **via** S. Thomae. — 2) In parte III^{a} theseos est similitudo aliqua cum argumentatione ipsius argumenti cosmologici. Nam in utroque casu operatur cum aliqua "**serie**" entium; in utroque casu **abstrahitur,** utrum possit esse series infinita, an non, cum de hac quaestione nihil dependeat pro argumentatione. Altera ex parte est differentia inter utramque argumentationem, sc.: In argumento **cosmologico** proceditur ab **"abaleitate"** entium ad existentiam entis **"A SE"**; in arg. **cinesiologico** proceditur a rerum **mutabilitate** ad existentiam entis **immutabilis.**

Obi. 1. Si res nullo modo sese ipsam actuare potest, tunc non operatur, et sic **solus** Deus operatur, quod affirmatur in occasionalismo? — **Resp.** Dist. assertum: ipsa res non agit, si nullo modo cooperatur cum illo influxu vel concursu Divino; conc; si res cooperatur cum illo influxu, tunc non agit, nego. Similiter ad cons., etc.

NOTA: Nos tantum affirmamus et probamus, ens ab alio **non** posse esse principium **"adaequatum"** suae activitatis vel potius mutationis. Nullo modo sequitur ex argumento in p. II[a], rem non posse esse saltem principium **"inadaequatum"** illius novae actuationis. Diximus tantum, "illud **novum qua novum**... **non** potuit provenire ab ipsa re **SOLA**"; ideoque nullo modo excluditur possibilitas alicuius verae activitatis ipsius creaturae! — Utique, **quomodo** talis cooperatio fiat inter Deum et creaturam, est finaliter **mysterium**. Ipsum **factum** clare constat ex ipsa philosophia, uti modo vidimus. Ceteroquin dicendum, Deum in creatura non agere quasi ab extra, cum sit illi intime praesens vi immensitatis. Ipse actus a creatura elicitur eique est immanens.

Obi. 2. Secundum S. Thomam "quidquid movetur ab alio movetur"; ergo non possum me ipsum movere? **Resp.** Dist. antec.; quod movetur non potest esse principium **adaequatum** huius suae mutationis, conc.; non potest ullo alio modo esse principium, sc. **"inadaequatum"**, nego. Similiter dist. cons. —

Obi. 3. Secundum thesim "omnis mutatio est transitus de potentia in actum"; atqui annihilatio est vera mutatio et tamen nulla actuatio, sed potius contrarium Ergo, falsum est illud adagium.

Resp. Dist. mai.: hoc valet de omni mutatione **"propria"**, conc.; **eo ipso** de impropria, nego. Contradist. min.: annihilatio est mutatio propria, nego.; **impropria,** concedo. Pariter dist. cons., etc. —

Nota: Diximus, non **eo ipso** valere de mutatione impropria; nam in certa conditione etiam mutatio impropria potest esse actuatio, uti creatio, cum sit transitus de potentia pura in actum.

Obi. 4. Homo a non intelligente fit intelligens, et tamen non movetur ab alio. Ergo, falsum est illud adagium?

Resp. Dist.: a nulla causa empirica movetur, trans.; a nulla transcedentali nego! Ideo, nego cons.

Obi. 5. Argumentum supponit princ. causalitatis; atqui hoc supponit Deum; ergo, adest circulus vitiosus.

Resp. C. mai.; dist. min.: in ordine ontologico, conc.; in ordine logico, nego;

Obi. 6. Corpus semel motum, continuo novas ubicationes acquirit; atqui ad illas non indiget impulsu; ergo, illud adagium non est universale.

Resp. C. mai. et nego min.; quia accipit impulsum 1) ratione "inertiae" et 2) a concursu Divino. Ergo, etc.

Obi. 7. Saltem libera volitio determinatur a sola voluntate? — **Resp.** Dist.: a nulla causa empirica, trans.; a nulla metempirica, nego! (cf. Obi. 4.)

Obi. 8. Omne ens agit, inquantum est in actu; ergo non indiget nova actuatione.

Resp. Dist.: ita, ut forma in actu primo jam sufficiat, nego; simul cum impulsu alterius, (qui impulsus est ultimatim **Divinus**), conc.; ideo nego cons.

Obi. 9. Plus continet minus; atqui substantia creata est plus quam eius actus. Ergo, eum jam continet et non indiget nova actuatione.

Resp. Tr. mai.; dist. min.: est plus ratione substantiae, conc.; ratione perfectionis specificae actus, nego; ad cons. dist. part. primam: continet actum, inquantum est eius principium **inadaequatum,** conc.; adaequatum, nego; et nego p. sec. conseq.

Nota: Substantia, cum perficiatur per suum actum, cum non continet, neque per identitaem, neque aequivalenter.

Obi. 10. Arg. cinesiologicum est simplex repetitio arg. cosmologici, cum in utroque casu argumentatio procedat a mundo empirico. **Resp.** Sed tamen sub diverso respectu, uti clare vidimus in argumento, et in 2.° puncto Corollarii.

Obi. 11. Ex physica scimus, nullam atomum perire et nullam novam oriri; ergo, mundus non est in continua mutatione.

Resp. Dist. assert.: ita, ut atomi non mutentur substantialiter, conc. vel tr.; non accidentaliter, nego. Pariter dist. cons., etc. —

Obi. 12. Sed atomus forte est **aeterna? Resp.** Nego. Insto: Physica contrarium non probat? **Resp.** Tr.; sed **nego,** esse quaest. **empiricam.** Ultimatim est q. phil.;

Obi. 13. "Movens immobile" est contradictio? — **Resp.** "Mobile-immobile", conc.; "movens-immobile", nego.

Obi. 14. Deus est actus purus, ideo in Deo est summa activitas; atqui, ubi activitas, ibi mutatio, ergo, Deus est mutabilis, ideoque non est "movens-immobilis".

Resp. Conc. mai.; dist. min.: valet de activitate creaturae, conc.; Dei, nego, et data distinctione minoris nego consequens.

Obi. 15. Inter potentiam et actum datur transitus; atqui in Deo est et potentia et actus; ergo, in Deo datur transitus, ideoque mutatio.

Resp. Dist. mai.: si sunt entitates distinctae, conc., secus nego. Contradist. min.: ita, ut sint dist. inter se, nego; una eademque perfectio Divina, conc.; ideo nego cons.

Obi. 16. Etiam atomus est immutabilis ideo ens immobile. **Resp.** dist assert.: accidentaliter, nego; substantialiter, subdist.: in ordine empirico, conc., vel trans.; in ordine metempirico, nego.

THESIS 6. Deus ut ens absolute necessarium sequitur ex rerum contingentia. (= Argumentum **tychologicum**).

Notiones: 1) **Contingens;** a) **empirice:** est id quod generatur et corrumpitur, uti planta, etc. (= corruptibile); b) **metaphysice** consideratum: est id, in cuius essentia non est, ut existat; vel est id, quod est prorsus **indifferens** ad esse vel ad non esse; (quae indifferentia vocatur **"passiva"** et non debet confundi cum indifferentia **"activa"** voluntatis, de qua in psychologia speculativa);

NOTA: Non debemus confundere ens **contingens** cum ente **possibili,** quamvis interdum sumantur ut synonyma, uti v. gr. ipse S. Thomas fecit in suis "quinque viis"; nihilominus, sensu stricto loquendo, non sunt synonyma. Nam, **contingens** est illud ens, quod quidem **existit,** sed in se aeque bene posset **non** existere, proinde ut tale opponitur enti **NECESSARIO; possibile** autem est illud, quod hic et nunc **non** existit, quod tamen existere

posset, et sumi solet vel **absolute,** vel **praecisive,** uti alibi fusius explicabitur. — Ideo ens possibile ut **tale** opponitur enti **ACTUALI,** vel enti **ACTU** existenti. — Utique, in hoc quidem conveniunt, inquantum utrumque (tum possibile, tum contingens) posset **aeque bene esse** vel **non** esse; sed propter rationem supra allatam, debemus inter utrumque clare distinguere, si volumus loqui sensu stricto.

2) **Necessarium;** a) in ordine **logico:** est id, quod non potest non valere; v. gr. "motivum metapsysicum immediate evidens simpliciter necessitat intellectum ad assensum"; (cf. Frick, Critica, pg. 332, n. 482.)

b) in ordine **ontologico;** est id, quod non potest non esse; vel, quod non est indifferens ad existendum, ideoque absolute necessario existit. (= DEUS);

Adversarii: 1) **Materialistae,** pro quibus materia et energia et leges physicales sunt absolute necessariae, ideoque argumentatio ex aliqua "contingentia" esset secundum illos impossibilis. 2) **Monistae,** qui mundum empiricum identificare conantur cum Deo, ideoque etiam negant rerum contingentiam. (cf. **Spinoza,** etc.) 3) Praesertim **Kant,** qui in sua Critica rationis purae (pg. 643-648), semel rejecta metaphysica, consequenter negat contingentiam et necessitatem in sensu metaphysico.

Sensus theseos: Consideratis rebus huius mundi utpote mere **contingentibus,** (et quidem non tantum sensu empirico, sed maxime sensu **metaphysico**) colligimus existentiam alicuius entis absolute **necessarii,** (iterum sensu **metaphysico**), in quo unice inveniri potest ratio sufficiens pro existentia rerum contingentium.

Pars I. Entia mundana sunt contingentia, et quidem sensu metaphysico.

Argumentum. Ens contingens est illud, quod est indifferens ad esse vel ad non esse; atqui entia mundana sunt indifferentia ad esse vel non esse; ergo, sunt omnino contingentia.

Ad min. 1) Si non essent indifferentia ad esse vel non esse, tunc necessario existerent et tunc **in se** habe-

rent rationem **sufficientem** ad existendum, quod est contra eorum conceptum **"abaleitatis"**; ergo, sunt indifferentia ad esse vel non esse. — 2) Uti jam vidimus, entia mundana sunt in continuo **transitu de uno statu ad alium,** vel de aliqua potentia ad actum, sive substantialiter, (uti entia viventia) sive saltem accidentaliter, tum intrinsece, tum extrinsece, uti simpliciter omnia entia mundana; atqui, si non essent indifferentia ad esse vel non esse, tunc eo ipso jam deberent continere omnem actualitatem et excluderent omnem passivitatem, et sic metaphysice repugnaret omnis mutatio, sc. transitus de potentia in actum, quod est evidenter absurdum.

Pars II. Quae entia contingentia supponunt ens absolute necessarium.

Argumentum. Entia contingentia, uti modo vidimus, sunt ex se omnino indifferentia ad existendum. Atqui, si hoc valet de singulis entibus contingentibus seorsum sumptis, tunc aeque bene et a fortiori de illis omnibus **simul sumptis,** i. e. de tota illa serie entium contingentium; (sive sit series finita, sive non, de hoc iterum nihil pendet). Ergo necessario debet existere aliquod ens, quod non sit contingens sed absolute **NECESSARIUM,** (quia secus deficeret ratio sufficiens pro existentia entium contingentium.)

Pars III. Hoc ens absolute necessarium est ens A SE.

Argumentum. Si hoc ens esset ab alio, tunc I) **deficeret ratio sufficiens** pro sua propria existentia et pro existentia ceterorum entium; 2) tunc esset de facto indifferens ad existendum et consequenter esset ens contingens, quod est contra probationem in parte II.ª; ergo, nihil remanet, nisi ut sit ens A SE.

COROLARIUM. Differentia inter argumentum **cosmologicum** et **tychologicum:**
In primo casu proceditur ab **"abaleitate"** et in secundo casu a rerum **contingentia** i. e. ab earum indifferentia **passiva** ad existendum. Ideoque clare patet, argumentum tychologicum non esse simplicem repetitionem ar-

gumenti cosmologici, uti aliqui putant. Porro, utrum conceptus contingentiae sit logice prior conceptu abaleitatis, an valeat contrarium, fuit iterum obiectum controversiae. Sed pro argumento nostro nihil dependet ab hac quaestione.

Obi. 1. Contingentia mundi **anorganici** non potest probari. Ergo argumentum nostrum nihil valet, cum contingentiam omnium rerum mundanarum supponat.

Resp. Dist. assert.: non empirice, conc.; non metempirice vel metaphysice, nego.

Obi. 2. Mutabilitas non videtur ut signum contingentiae. Nam, omnia stadia in evolutione possunt subire legem immanentem absolute necessariam, et sic singulae res earumque status adessent et disparerent cum eadem absoluta necessitate.

Resp. Nego assertum. Nam ens absolute necessarium, utpote actus purus, debet necessario excludere omnem potentialitatem. Ideoque pantheismus evolutionisticus est contradictio in terminis. (Cf. Rast, Comp. theodiceae, pg. 31).

THESIS 7. Deus ut ens summe perfectum colligitur ex rebus imperfectis. (= Argumentum **climacologicum**).

Nomen: provenit e graeco **"klimax"** = gradus, scala, etc.; ita vocatur, quia auctores cum S. Thoma in sua "quarta via" ex diversis gradibus rerum perfectionum procedere solent ad Dei existentiam probandam utpote entis summe perfecti.

Conceptus: Perfectio est id, quo aliquid bonum redditur, vel est "id, cui nihil deest eorum, quae ipsi debent inesse ad eius complementum"; (cf. Frick, Ontologia, pg. 209). Secundum **S. Thomam** aliquod ens est stricte perfectum, in quantum est in actu, et quo magis est in actu, eo perfectius erit ipsum ens, (ceteris paribus). Dividi solet in perfectionem simplicem et mixtam.

1) perfectio **simplex**; est ea, quae ex **suo conceptu non** involvit aliquam imperfectionem, quae dupliciter sumi potest, scilicet,

a) perfectio **positive simplex;** est illa, quae **positive** et **absolute** necessario omnem imperfectionem excludit, uti v. gr. aeternitas, immensitas, omnipotentia, aseitas, infinitum, omnipraesentia, etc.;

b) perfectio **negative simplex;** est illa, quae non absolute excludit imperfectionem, sed tantum ex **mero suo conceptu** eam simpliciter non involvit, uti v. gr. intelligere, velle, voluntas, vita, ens, substantia, subsistentia, etc.;

2) perfectio **mixta;** est ea, quae ex suo **conceptu** necessario **involvit** imperfectionem, uti v. gr. accidens, creatura, abaleitas, contingentia, sentire, organismus, vegetatio, materia, humanitas, etc.;

Conspectus historicus. Aliqui putant, jam **Platonem** nostrum argumentum aliquo modo elaborasse; **S. Augustinum** et **S. Anselmum** illud cognovisse, videtur historice certum; (cf. **Stoeckl,** Grundriss der Philosophie, pg. 135, respective pg. 173); Argumentum ipsi **S. Thomae** fuisse maxime familiare, jam vidimus. Hodie a non paucis Neothomictis aliis argumentis praeferri solet; (cf. Rast, Comp. pg. 39); alii, uti v. gr. **Descoqs S. J.** (cf. Theologia Naturalis, vol II., pg. 15 et 26-28) ei denegant valorem proprium. Secundum **Rast** (cf. Comp., pg. 40) nostrum argumentum intime conectitur cum argumento **cinesiologico,** (praesertim cum eius parte II.ª;), salten eo modo, uti nos argumentum proponimus.

Sensus theseos. Ex perfectionibus limitatis **qua** limitatis fit illatio ad existentiam alicuius entis omnino et absolute perfecti. Uti supra vidimus, nostra argumentatio conectitur cum alio argumento, sub quo respectu concordamus cum Descoqs, sc., argumentum non habere valorem stricte et absolute proprium.

Pars I. Res mundanae sunt imperfectae; (contra optimistas **exaggeratos**).

Argumentum. Illae res sunt imperfectae, quae sunt in potentia ad actum, i. e. in potentia ad ulteriorem perfectionem acquirendam, vel si sunt in potentia ad acceptam perfectionem perdendam; atqui hoc valet de rebus mundanis; ergo res mundanae sunt omnino imperfectae.

Ad min. Patet ex thesi 5.ª sc. ex argumento cinesiologico, ubi probatum est, omnia entia mundana esse in continuo transitu de potentia in actum, vel de uno statu in alium.

Pars II. Quae entia imperfecta supponunt ens summe et infinite perfectum.

Argumentum. Quodlibet ens imperfectum est ex suo conceptu in continua potentia ad actum, i. e. in potentia ad aliam vel ulteriorem perfectionem vel actualitatem acquirendam; porro, ad hoc indiget aliquo principio alio a se differenti, quod influxu suo physico talem novam actuationem causare possit; (cf. thesis 5., P. II.). Atqui, quod valet de singulis entibus imperfectis seorsum sumptis, valet a fortiori pro **tota** serie entium imperfectorum. Ergo, extra et supra illam seriem rerum imperfectarum necessario debet existere ens perfectissimum, quod ipsum nullo modo sit actuatum, sed habeat **plenitudinem actualitatis** vel perfectionis, et ita influxu suo physico in illis rebus quamlibet aliam (utique, ipsis rebus **non** repugnantem) actualitatem vel perfectionem causare possit. **Ergo,** ex rebus imperfectis qua talibus colligitur existentia entis summe et infinite perfecti.

Pars III. Quod ens perfectissimum est ens "A SE".

Argumentum. Nam, si esset ab alio, tunc esset limitatum, et eo ipso non jam esset ens summe perfectum; atqui, de facto debet esse summe, sc. infinite perfetum, uti vidimus in parte II.ª; ergo, non est ab alio, sed est "A SE".

COROLLARIUM. 1) Ex dictis elucet, nos quidem argumentari ex diversis gradibus perfectionum, sed **non** sub **formali** ratione **diversitatis** (saltem non directe) sed sub formali ratione **limitationis** perfectionum, quae limitatio ut talis quidem implicite continet graduum diversitatem.

2) Alii ita proponere solent argumentum: Omne relative perfectum est secundum absolute perfectum; atqui omne ens finitum est relative per-

fectum; ergo est secundum absolute perfectum, quod consequenter existit. Contra quam argumentationem **Rast** ita ratiocinatur: "Difficultas in eo est, quod ens finitum nondum habetur ut perfectio secundaria vel relative perfectum, Deo infinito nondum probato". (Cf. Rast, Theologia Naturalis, pg. 40). Ad quod ita respondendum videtur: Dei existentia a me nondum probata, nihilominus clare cognoscere possum, mundum **non** esse **absolute** perfectum; et si non est absolute perfectus, tunc nihil remanet, nisi ut sit **relative** perfectus, scilicet, relative ad quamlibet altiorem perfectionem, quam excogitare possum, semper adhuc abstrahendo a Dei existentia. Aliis verbis in forma: Perfectio **relativa** supponit perfectionem absolutam, dist. assertum: ontologice, conc.; logice, nego. Proinde illa forma argumenti climacologici videtur legitima.

Obi. 1. Esse in potentia ad intelligendum est magna perfectio; (sic homo est in potentia ad intelligendum, animal brutum non); ergo falsum est **adagium**: "aliquid est imperfectum, in quantum est in potentia"? — **Resp.** conc. assert. et nego cons. cum neganda sit suppositio, sc. in illo adagio S. Thomae potentia non sumitur in oppositione ad non-esse, sed in oppositione ad correspondentem **actum.**

Obi. 2. Sed peccatum actuale maior est imperfectio peccato mere potentiali; ergo, adagium non habet valorem universalem.

Resp. dist. assert.; quoad entitatem **physicam** ipsius actus, nego; quoad malitiam, conc., sed nego, hanc esse ens positivum; est mera privatio boni debiti.

Obi. 3. Falsum est, omnes res mundanas esse imperfectas; v. gr. circulus est in se quid perfectum. **Resp.** nego essert.; ad exemplum, 1) loquimur de rebus mundanis ideo de rebus concretis; circulus ut talis autem est quid abstractum. 2) Etiam circulus ut talis est quid imperfectum, cum sit perfectio "**mixta**".

Obi. 4 Sed sunt entia creata, quae non possunt esse perfectiora. **Resp.** 1) in suo genere, tr.; relate ad alias perfectiones, quae desunt, nego; 2) loquendo sensu absoluto, quaelibet creatura ex se posset perdere suam perfectionem sine Deo.

Obi. 5. Sed ens summe perfectum non necessario habet actualitatem infinitam?

Resp. Omnino debet habere. Nam, secus esset in potentialitate receptiva ad ulteriorem actualitatem accipiendam; tunc deberet existere ens perfectius, ratione cuius influxu physico illud ens actuari deberet ad illam novam perfectionem accipiendam. Deinde notandum, solum ens infinitum habere sufficientiam adaequatam pro perfectione qualicumque.

THESIS 8. Deus ut architectus sapientissimus probatur ex admirabili rerum ordinatione ad finem. (= Argumentum **teleologicum**).

Notiones: I. **Finis,** est id, propter quod aliquid fit; potest esse: vel **internus,** vel **externus;** uterque vel **proximus,** vel **remotus** respective intermedius, vel **ultimus;** qui iterum est vel **conditionate** vel **absolute** ultimus; (quae omnia in thesi de Gloria Dei fusius explicari solent).

II. **Finalitas;** est dispositio respective inclinatio, quae sub influxu finis orta est et ad actualem assecutionem finis ducit, vel saltem ducere potest; vel breviter: **est rei ordinatio ad finem.** Quae est vel **interna,** vel externa;

1) finalitas **interna;** est illa dispositio respective inclinatio rei ad bonum **ipsius;** v. gr. animal, fugiendo malum et appetendo cibum etc. appetit sibi bonum, uti in aliqua thesi probatum est in Cosmologia;

2) finalitas **externa;** est mera adaptatio et directio rei eiusque partium in bonum alterius vel aliorum; v. gr. in horologio, in qualibet machina artificiali; etc.; **Nota:** in rebus naturalibus, praeter finalitatem internam esse etiam **externam,** probabitur in thesi de finalitate creationis. **Utraque,** tum interna, tum externa potest iterum esse vel **obiectiva,** vel **subiectiva;**

a) finalitas **obiectiva** adest, si ipsa res licet finalistice agat, tamen hanc suam finalitatem (sive internam sive externam) **nullo** modo **intelligit;** quod valet de omnibus rebus non intellectualibus;

b) finalitas **subiectiva** (vel formalis) adest, si ipsum agens intelligit suam duplicem finalitatem eamque intendit, uti valet de homine etc.;

III. **Casus**; 1) sensu **lato** adest, si aliquis effectus oritur praeter vel contra exspectationem; vel contra intentionem causae proximae, vel si causa efficiens (proxima) hic et nunc ignoratur; 2) casus sensu **stricto**; adesset si in aliqua re vel eventu aliquo nulla prorsus adesset ordinatio ad aliquem finem; casum tali sensu stricto esse impossibilem, jam in cosmologia probatur.

Adversarii. 1) Sunt omnes illi, qui omnem finalitatem omnino negant, uti **materialistae, mechanistae** et **positivistae,** qui ordinem in mundo **casui absoluto** attribuunt. 2) Illi, qui docent finalitatem mundo immanentem, negando eam supponere intellectum conscium et supramundanum, uti **Eisler, Bergson, Le Roy, Richet,** etc.; 3) Illi, qui negant valorem obiectivum finalitatis, sicut **Kant.**

Sensus theseos. Thesis fundatur supra fundamentum solidum illius theseos Cosmologiae, in qua probatur, in mundo existere ordinem et quidem vere et stricte **formalem,** scilicet, qui necessario supponat causam aliquam **efficientem** extramundanam et **summe intelligentem;** est proinde argumentum sumptum ex **mirabili** rerum ordinatione ad finem; ideo **nomen,** quod provenit e graeco **"télos"** = finis.

Notandum: 1) In thesi probamus non tantum existentiam entis summe et infinite intelligentis, sed ostenditur simul, tale ens esse **"A SE"**; 2) **non** esse identicum cum argumento **henologico,** ostenditur breviter in corollario.

Pars 1. Mundus supponit existentiam alicuius architecti sapientis.

Argumentum. Est ordo mirabilis in mundo; atqui talis ordo supponit ordinatorem vel architectum sapientem; ergo talis de facto existit.

Ad mai.; 1) patet ex obvia rerum observatione et nemo nisi homo stultus aut mente captus aut mendax ta-

le quid negare posset; 2) illa recordanda, quae dicta sunt in Cosmologia de ordine mirabili rerum mundanarum, praesertim quoad systema solare et systema atomicum. Nihilominus **statim notandum** erit, nos non affirmare, hunc ordinem non posse esse meliorem vel perfectiorem; neque dicimus, omnia et singula phaenomena statim ostendere talem mirabilem ordinationem. V. gr., si terremotus destruit regiones integras, tunc utique, non erit quaestio de finalitate **"constructiva"** sed potius **destructiva;** sed a) tale phaenomenon saltem relative erit semper aliqua exceptio et b) immo, etiam talis "exceptio" licet sit proxime aliqua destructio, nihilominus saltem ultimatim finalitatem mundi ostendere valet.

Ad min.; talis ordo supponit ordinatorem vel architectum sapientem. Nam, hoc elucet ex simplici comparatione cum aliquo horologio vel cum qualibet alia machina artificiali; scilicet, si jam in artificialibus praesuponitur artifex sapiens, tunc idem dicendum in rebus naturalibus, et quidem a fortiori, cum maiorem et altiorem perfectionem ostendant. Quaeque illatio de artificialibus ad entia naturalia est omnino legitima, quia agitur, licet de analogia, tamen de analogia **intrinseca,** quae sufficit, ad argumentum stricte philosophicum formandum.

Obi. 1 Sed mundus ordinatus forte **casu** ortus est aliqua felicissima combinatione? — **Resp.** a) quasi infinite facilius oriri posset quaelibet alia combinatio inordinata, quam haec ordinata; nam, **"nihil fit sine ratione sufficienti";** atqui, in suppositione obicientis non adesset ratio suficiens illius combinationis ordinatae; b) etiamsi omnia orta essent ex aliqua massa "informi" (uti aliqui ajunt), tunc iterum requireretur aliqua causa efficiens et summe intelligens, quae talem tam admirabilem tendentiam ac dispositionem "evolutivam" rebus imprimere debuisset.

Obi. 2. Argumentum ex mera analogia non valet? — **Resp.;** dist.: ex mera analogia extrinseca; conc.; ex analogia intrinseca non valet, nego! — (Cf. supra).

NOTA: Si quis ulteriora de his scire cupit, cum fructu legere potest opusculum Patris Eduardi Gierster S. J., Deus no mundo, editora "Vozes", 1937).

Pars II. Qui ordinator debet esse infinite sapiens; (saltem "ultimatim").

Argumentum. Ille architectus mundi aut habet suam intelligentiam ac sapientiam **a se ipso**, tunc esset sapientia ipsius entis "A SE", ideoque sapientia simpliciter infinita; (et tunc haberetur thesis); aut habet suam intelligentiam ab alio, et hic iterum ab alio, etc.; tunc oritur aliqua series architectorum cum intelligentia finita; **porro** singuli ex suppositione **ex se** evidenter **non** habent **sufficientiam** pro sua propria intelligentia vel sapientia; atqui id, quod valet pro singulis sorsum sumptis, valet a fortiori pro **tota** illa serie architectorum; ergo tandem aliquando (extra et supra illam seriem) debet existere aliquis architectus supremus et infinite sapiens, secus **non** adesset ratio **sufficiens** vel adaequata sapientiae et intelligentiae aliorum architectorum illius seriei.

NOTA: Si dicimus **"ultimatim"**, hoc iterum sese refert ad ordinem **cognoscendi** et **non** essendi; i. e., tandem aliquando debemus pervenire ad talem cognitionem, respective conclusionem, uti jam semel inculcatum est in alio loco. Idem affirmare velle de ordine ontologico, contradiceret thesi de creatione.

Pars III. Qui ordinator vel architectus est ens "A SE".

Argumentum. "Architectus mundi aut est ens **a se**, (tunc habetur, quod volumus); aut causatus et creatus ab ente a se ,ut ex saepe iam dictis patet". Et tunc iterum sequitur, quod probare volumus in p. III.ª). Ergo, est de facto ens a se; (cf. **Hontheim,** comp. theod. pg. 113).

COROLLARIUM.1) Recte dicit Hontheim: "Ceterum practice satis est, ut demonstremus architectum mundi existere sapientissmum, quin de infinitate et aseitate sollicite simus. Nam sapientiam supermundanam universitatem rerum disposiusse vulgus atheorum negat. Quam sapientiam si homines admittunt, ultro concedunt, hanc sapientiam esse infinitam. Qui sapientiam mundum condidisse affirment et infinitatem solam negent, hodie

vix apud nos inveniuntur. Certe pauci sunt, qui attentionem non merentur". (Hontheim, com., pg. 113).

2) Deinde breviter ostendendum est, argumentum teleologicum non esse plane indenticum cum argumento henologico, de quo postea in appendice partis secundae erit sermo. Nam in argumento **henologico** argumentatur ex mirabili **unitate** rerum tam multiplicium et fit illatio ad existentiam alicuius principii **unius** quod sit illis rebus omnibus commune. Colligitur proinde eius **"unicitas"** et quidem explicite; de eius sapientia autem non est quaestio nisi forte implicite. Contrarium dicendum in argumento teleologico, in quo diserte probatur existentia entis sapientissimi ex existentia ordinis sapientissimi rerum mundanarum. De unicitate illius entis sapientissimi non est explicite sermo, sed tantum implicite.

Scholion. 1) Evidens est, adhuc nullo **modo** esse quaestionem de **creatione** in argumento teleologico. Sequitur tantum, Deum esse **auctorem** mundi, utrum mediante creatione an emanatione, an qualicumque alio modo forte excogitando, de hoc nihil in argumento; 2) **neque** dicitur, Deum esse auctorem **immediatum;** esse de facto auctorem **directum,** immo et **unicum** mundi empirici, erit probandum in thesi de creatione; quod interim neque affirmatur neque negatur. Si in thesi dicitur, mundi ordinatorem debere esse ens infinite sapiens, **"saltem ultimatim",** dicendum est, hcc vocabulum "ultimatim" habere alium sensum, uti plus quam semel notatum est in praecedentibus.

Obi. 1. Hic ordo mundi forte provenit ex **lenta** sed continua evolutione? **Resp.** a) Ex Cosmologia scimus, saltem organica nullo modo orta esse neque oriri potuisse ex anorganicis; b) etsi possibile esset (quod semper negandum) tunc talis evolutio aeque bene ostenderet existentiam alicuius ordinatoris sapientissimi.

NOTA: Quidquid tandem aliquando illa theoria Kantio-Laplacicae doceat, nullo tamen modo influit in thesim. Nam, utrum adsit evolutio interna rerum, an specialis Dei interventio ab extra, semper manebit mirabilis mundi visibilis teleologia sc. ordo ex intentione mirabi-

liter ortus, quippe qui necessario supponit architectum aliquem sapientissimum, uti in argumento probatum est.

Obi. 2. Forte mundus intellectu praeditus, sese ipsum ordinavit? **Resp.** 1) nego, mundum habere intellectum; b) etsi haberet, non potuisset sibi dare suam dispositionem ordinatam, secus jam operari debuisset, antequam exstitit, quod est absurdum. **Nota:** Quot affirmationes absurdissimae atheorum, ne debeant admittere veritatem clarissimam, sc. Dei existentiam!

Obi. 3. (Kant, Schulze et alii) Homo, utique, non potest ordinem facere sine consilio intellectus; sed forte natura, cum sit mundo potentior?

Resp. a) Facere ordinem sine consilio intellectus est impossibile; b) Falsum est, naturam esse homine potentiorem, saltem si respicimus eius facultatem nobilissimam, scilicet, intellectum.

Obi. 4. In mundo omnia fiunt **necessitate** mechanica, ideo nulla finalitas in mundo. **Resp.** 1) Falsum est, omnia in mundo fieri mechanice; 2) etsi ita esset, nihil sequeretur contra mundi finalitatem; nam v. gr. in horologio ut tali omnia necessitate mechanica fiunt et tamen adest ordinatio mirabilis ad finem.

Obi. 5. Nemo totum mundum cognoscit, ergo nihil scire possumus de eius finalitate. **Resp.** Conc. assert. et nego cons., cum sufficiat scire aliqua facta verae finalitatis.

Obi. 6. Sunt multa mala in mundo, ideo nulla finalitas. **Resp.** 1) Saepe agitur de malis apparentibus; 2) non obstantibus malis sufficeret **unus** casus certus finalitatis ad Dei existentiam **probandam**; 3) Ipsa mala mundi ostendunt specialem teleologiam, uti alibi videbimus.

Obi. 7. Ex modo finalistico agendi in homine concluditur ad similem modum in Deo; atqui hoc sapit **anthropomorphismum**; ergo illatio est reicienda.

Resp. Dist. mai.: concluditur ad intelligentiam, conc.; ad **similem** modum intelligendi, nego; contradist. min. et nego cons.

Obi. 8. Opera artistica oriuntur ex impulsu inconscio; ergo a pari mundus et sic nulla sequitur finalitas.

Resp. Nego assert.; nam oriuntur ex mirabili aliqua **intuitione**, quam non debemus confundere cum impulsu caeco; ideo nego cons.;

Obi. 9. Si Deus agit propter finem, fit dependens a fine, quod est absurdum. Ergo negandum Deum finalistice agere in mundo.

Resp. Dist. assert.: valeret, si ipse Deus non esset finis absolute ultimus omnium rerum et activitatum, et si ipse aliquem influxum pati posset ab extra, conc. secus nego assert. et sic nego cons.;

De argumento eudaemonologico

Praenotanda: 1) Argumentum eudaemonologicum esse dignum specialis attentionis, elucet.

a) ex ipsa eius **natura;** agitur enim de **desiderio nobilissimo** inter omnes naturae humanae inclinationes; deinde elucet

b) ex eius **obiecto,** quod ipsum bonum et quidem **summum bonum** significat; quod ultimum utique **non** constat **a priori,** uti nonnulli putant, sed tantum a posteriori, scilicet, ex nostra probatione, ut clare videbimus; insuper elucet

c) ex convictione tot auctorum, inter quos eminet **S. Augustinus** (cf. Stoeckl, Geschichte der Philosophie, pg. 135); esse quaestionem alicuius momenti tandem elucet

d) ex vivida **controversia** inter modernos scholasticos, ut videbimus.

2) In argumento bene attendendum erit ad nostrum **modum, quo** ipsum proponitur in oppositione ad **illum modum,** quo generatim proponi solet, quippe qui **ansam** praebuit ad illam controversiam inter neoscholasticos. Deinde accurate attendendum erit ad ipsos conceptus, praesertim ad conceptum **desiderii felicitatis;** quod **desiderium** in aliqua thesi speciali explicare volumus, antequam ad ipsam thesim de argumento eudaemonologico accedamus.

THESIS 9. Desiderium felicitatis est naturale, spirituale et irresistibile.

Nexus. Cum hoc desiderium praebeat fundamentum pro thesi sequenti, fiat haec sequens expositio! Sunt enim, qui putant, **omnes** fere inclinationes naturae humanae contribuere ad ipsum desiderium felicitatis **essentialiter** constituendum. Non ita esse erit probandum in secunda parte huius theseos. Non negamus, inclinationes inferiores hac in vita aliquo modo conecti cum desiderio felicitatis sensu stricto sumpto; sed **negamus,** eas illud **constituere.**

Notiones. Debemus rite distinguere inter desiderium felicitatis **naturale** et **supernaturale;** de quo ultimo non erit quaestio nisi in theologia dogmatica. Proinde debemus hic loqui de desiderio in **priori** sensu. Quod desiderium naturale iterum dupliciter sumi potest, scilicet, vel ut appetitus naturalis, vel ut appetitus elicitus; 1) **appetitus naturalis;** est inclinatio et ordinatio naturae (et quidem **qua** rationalis) in bonum **antecedenter** ad cognitionem huius boni ex parte ipsius subiecti seu appetitus sequens formam naturalem; (cf. Rast, pg. 42).

2) **appetitus elicitus;** est actus secundus vitalis, tendens in bonum cognitum, seu appetitus sequens formam cognitam; (cf. ib.). Prior cognoscitur ex obiecto formali appetitus eliciti.

Quid in thesi? Resp. Loquimur de desiderio vel appetitu felicitatis, sive naturaliter, sive elicitive sumpto, sed **praesertim** in **secundo** sensu, uti ex hac et sequenti thesi clare elucet.

Deinde ostendendum erit, hoc desiderium esse **essentialiter** spirituale, uti supra jam breviter indicavimus; in III.ª parte erit probandum, illud desiderium esse **irresistibile,** i. e., hominem illi **renuntiare non** posse.

Pars I. Desiderium felicitatis est naturale; (i. e. pertinet ad ipsam naturam).

Nota: Sensus huius partis primae est proinde hic: Desiderium felicitatis **non** est quid mere artificiale vel

forte effectus nostrae educationis; sed pertinet ad ipsam naturam, sive sumatur ut **"appetitus naturalis"** sive **"elicitus"**.

Argumentum 1. (Ex experientia et persuasione **universali)**

Desiderium felicitatis invenitur in quolibet homine, saltem aliquo modo usu rationis gaudenti et saltem essentialiter normali; atqui id quod ita universaliter invenitur in omnibus hominibus (suppositis illis requisitis), fundari videtur in ipsa natura humana; ergo desiderium felicitatis videtur prorsus naturale esse.

Ad mai. Evidens est, nos **non** loqui de homine prorsus **anormali** vel gravissime pathologico, neque de **infantulis** usu rationis nullo modo gaudentibus, saltem, in quantum erit quaestio de appetitu **elicito.**

Argumentum 2. (Ex finalitate interna omnium rerum naturalium).

Ex Cosmologia (cf. Frank, Philosophia naturalis, pg. 115-126 (scimus, quodlibet ens naturale (praesertim omnia viventia) appetere sibi finem, et quidem quodlibet ens modo sibi proprio, i. e. **modo naturali,** scilicet, modo, qui correspondet ipsius rei naturae; atqui tunc idem dicendum erit de homine, sc. hominem naturaliter appetere bonum sibi proprium; (quod est felicitas, uti alibi ostenditur) ergo, desiderium felicitatis est homini prorsus naturale.

Pars II. Quod desiderium felicitatis est prorsus spirituale.

Argumentum 1. Quo magis aliquis sequitur suas inclinationes inferiores et materiales, eo magis **maculatur** et **debilitatur** desiderium beatitudinis in suo vigore legitimo et sublimi, (licet **numquam tolli** vel **exstirpari** possit, uti statim videbimus in parte III.ª); atqui tunc inclinationes inferiores evidenter **non** constituunt tale desiderium felicitatis, cum illa **"debilitatio"** secus explicari non posset. Ergo, est desiderium prorsus spirituale.

Argumentum 2. Inclinationes partis sensitivae et vegetativae ipsi desiderio felicitatis saepe **directe opponuntur** et quidem ex **sua natura,** nisi coerceantur intra suos limites; atqui id, quod directe opponitur vel saltem opponi potest ipsi desiderio felicitatis, ipsum constituere vel cum ipso **identificari** evidenter nequit, nequidem ullo modo ex ipso fluere valet. Ergo desiderium felicitatis est prorsus spirituale.

Argumentum 3. Aliunde invicte constat, beatitudinem veram et perfectam saltem **naturaliter** et sine miraculo hac in vita inveniri non posse, sed tantum in altera vita; ideoque tale desiderium consequenter **non** respicit nisi bona **alterius** vitae. Atqui **bona** et consequenter correspondens **desiderium alterius** vitae non est nini prorsus spirituale; ergo idem desiderium jam **hac** in vita est prorsus **spirituale.**

Ad min. Nam, 1) hoc jam constat ex sola **philosophia,** quia in altera vita, sc. saltem in ordine **naturali** (de quo unice est quaestio in philosophia) anima nostra maneret semper **separata** a corpore (cum resurrectio sit donum plane et pure supernaturale) et proinde cum inclinatione **pure spirituali,** in oppositione ad hanc vitam terrenam, propter unionem corpus inter et animam.

2) utique, in hoc ordine **supernaturali,** (in quo de facto versamur et de quo in theologia dogmatica erit quaestio) anima iterum unitur cum corpore, sed **glorificato,** in quo iterum tantum erunt inclinationes et aspirationes mere spirituales, uti modo perpulchro inculcatur a **Christo Domino** (cf. Luc. XX. 35). Quare ex **utroque fonte,** tum naturali, tum supernaturali invicte constat, altera in vita non existere nisi desideria spiritualia.

Ad cons.: patet, cum **natura** animae sit plane **eadem** in hac et in altera vita, ideoque etiam desiderium **essentiale** et elementare ipsius naturae erit **idem.**

Pars III. Est desiderium irresistibile.

Argumentum. Homo, **spernendo** tale desiderium tam sublime et sequendo appetitum inferiorem, profundum et **irresistibile** sentiet **vacuum,** et quidem tamdiu,

quamdiu illa contemptio perduraverit; atqui, desiderium, cuius non impletio tam profundum et irresistibile vacuum causat, recte vocatur desiderium "irresistibile"; ergo, desiderium felicitatis (de quo praecise agitur) est irresistibile.

Ad min. uti in statu quaestionis dictum est, **"irresistibile"** vocatur illud desiderium, cui **numquam** et in nulla suppositione creatura **renuntiare** valet; quod valet etiam in inferno; quare animarum inferni sors erit infelicissima, felicissima autem animarum in coelo propter tam irresistibilis desiderii perfectissimam et completam impletionem ac satietatem.

Obi. 1. In argumento 3.° partis secundae argumentamur ex theologia dogmatica, quod non valet in philosophia. **Resp.** in 1.° puncto (ad probationem illius minoris) probatur ex **sola philosophia**; 2) verum est, postea esse quaestionem de ordine supernaturali, sed a) quia in tractatu domgatico eadem quaestio surgit; b) cum jam in philosophia sit optima **confirmatio**.

Obi. 2. Desiderium felicitatis esse pure spirituale, videtur esse contra opinionem vulgarem.

Resp. Nihil mirum, cum agatur de quaestione, saltem ultimatim, stricte philosophica, ut elucet ex argumentatione.

THESIS 10. Deum existere tamquam summum bonum **probatur ex desiderio felicitatis**. (= Argumentum **eudaemonologicum**).

Notiones. 1) Argumentum eudaemonologicum ("eudáimon" = beatus) desumitur ex desiderio beatitudinis vel felicitatis.

2) **Beatitudo,** secundum **Boethium** est "status omnium bonorum aggregatione perfectus; vel secundum **S. Thoman** est "possessio omnis boni et absentia omnis mali secundum cuiusque exigentiam"; vel breviter: **Beatitudo** est ille status, in quo individuum erit absolute et perfecte felix.

3) **Desiderium** beatitudinis vel felicitatis; est illa inclinatio naturalis, vehementissima et plane ele-

mentaris, qua homo necessario appetere debet suam felicitatem. **NB:** Dicitur **"naturalis"** quia est quaestio de aliqua inclinatione **ipsius naturae;** sive sit a) natura **elevata,** quae viribus supernaturalibus tendit in beatitudinem **intrinsece** supernaturalem, scilicet, in **"visionem beatificam"** (de qua in theolg. dog.) sive b) natura **pura,** vel **non elevata** (de qua in philosophia est sermo) qua natura pura tendit ad felicitatem **mere** sed **vere** naturalem et viribus mere naturalibus. Porro, hoc desiderium **dupliciter** intelligi, sc. ut appetitum **"naturalem"** et **"elicitum",** jam dictum est in thesi praecedenti. Insuper agendum esse de desiderio prorsus **spirituali** et plane **irresistibili,** luculenter probatum est in eadem thesi praecedenti.

Adversarii. 1) **Pessimistae,** (uti Hartmann, Schopenhauer) pro quibus desiderium beatitudinis est illusorium;

2) Omnes **pantheistae,** quatenus negare solent animae immortatiltatem et consequenter beatitudinem perfectam et completam.

3) Nonnulli **scholastici** moderni; a) in quantum **negant valorem** principii finalitatis vel axiologici, saltem Deo nondum probato. Notandum est, tales non esse adversarios nostros, nisi quoad **secundam** partem tantum; (cf. Mercier et logice De Vries, etc.). b) Alii uti **Descoqs** argumentum eudaemonologicum reicere videntur, **negantes,** appetitum in bonum metaphysice **infinitum** probari posse. Sed iterum dicendum, illos **non** esse adversarios **nostros,** cum noster **modus** proponendi argumentum sit plane **diversus** ab illo, quem v. gr. Descoqs reicit; (cf. Descoqs, Theol. Nat., vol. II pg. 157, etc.).

Sensus theseos. 1) **negative:** Aliqui scholastici ita formulare solent argumentum sc.: **Desideramus naturaliter bonum infinitum; ergo** tale bonum debet existere cum secus natura humana rationalis deficeret, etc. — (cf. Descoqs, vol. II pg. 157).

Jure merito Descoqs sese dirigit **contra** talem modum procedendi. Nam, a) **difficile** erit probare, tale desiderium inveniri in homine **vulgari,** qui nostram notionem eruditam et **claram** de Deo nullo modo habere solet; b)

insuper dicendum, esse **petitionem principii,** (saltem in quantum est quaestio de desiderio **elicito**), cum jam supponatur illud, quod **praecise probandum** erit in toto argumento. Ideo patet, nos **non** ita procedere in **argumento.**

2) **Positive:** Ita fere proceditur in argumento: Quilibet homo **vult esse felix,** et quidem **perfecte** et **semper** et **pro semper,** quod procul dubio valet de appetitu **elicito;** nullum autem ens creatum vel contingens talem inclinationem **neque dare** (cf. P. I.ª) **neque satiare** (cf. P. II.ª) valet. Ideoque debet existere ens, tale quid praestare valens, scilicet, ens **summe bonum** et sic **evitatur** petitio principii; nam, id quod **naturaliter** et **quodammodo "a priori"** desideratur, est ille **status,** in quo homo erit perfecte contentus; hunc statum esse possessionem Dei, non nisi a **posteriori** constat, i.e. **sequitur** ex nostro argumento eudaemonologico.

Nota: Thesis habet duas partes, scilicet: **P. I.**, existit Deus ut **causa efficiens** talis desiderii et **P. II.**, existit Deus ut **causa finalis** talis desiderii. Vel:

P. I., Nullum ens creatum potest causare vel imprimere tale desiderium;

P. II.ª Nullum ens creatum potest **implere** vel satiare tale desiderium.

Pars I. Nullum ens creatum vel contingens causare potest tale desiderium;

Argumentum. Existit desiderium et quidem **universale, constans, indelebile** et **irresistibile,** secundum quod, occasione oblata, in desideria erumpere solemus versus plenam voluntatis quietem ac satietatem, et quidem ita, ut naturaliter quiescere non possimus, quamdiu tale desiderium non est inpletum. ATQUI nullum ens contingens nobis tale desiderium imprimere potuit. ERGO debet existere aliquod ens (summum bonum vel indefectibile) quod tale desiderium imprimere valet.

Ad mai. Est factum plane notum; omnes homines volunt **esse felices** et quidem perfecte; et necessario; multi, utique appetunt bona falsa et vana, sed eo vehementius sentire solent aliquod **"vacuum"**.

Ad min. Nullum ens contingens vel limitatum tale desiderium dare potest.

1) certo **non ego** ipse; cum sit desiderium **irresistibile** et plane **independens** a mea voluntate; et ex hoc praecise sequitur illud "vacuum", si non impletur;

2) **non aliud** ens creatum; nam, a) illud desiderium non tantum est irresistibile, sed etiam tendens in bonum **indefectibile**; atqui omne bonum creatum est limitatum et prorsus defectibile; ergo illud desiderium causare vel in nobis excitare nequit, secus effectus superaret suam causam; b) nulla creatura est ratio sufficiens pro **existentia animae** nostrae; ergo aeque bene **non potest** esse ratio sufficiens, respective causa efficiens illius **desiderii connaturalis** animae.

Pars II. Nullum ens creatum tale desiderium implere potest.

Argumentum. Desiderium felicitatis **debet per se** impleri **posse**; atqui, nullum bonum creatum vel **defectibile** tale desiderium implere potest; ergo debet existere, aliquod bonum **indefectibile,** sc. infinitum, cuius possessio illud desiderium implere potest.

Ad mai. 1) Dicitur **"per se"**; utique, per accidens non impletur, sc. propter culpam hominis, si non vult agere vitam bonam et honestam;

2) dicitur **"posse debere"**; quod elucet ex principio finalitatis vel **axiologico**; quod principium in nostro casu concreto fere ita sonat: "Nexus inter desiderium felicitatis et ipsum statum perfecte felicem utpote **per se possibilem** est **necessarius** et ut **talis immediate** notus"; (et quidem Deo **nondum probato,** uti alio loco jam ostendimus).

Ad min. 1) Nam nullum bonum creatum sibi **sufficere** potest, et a fortiori non potest sufficere aliis, sc. ad eorum desiderium perfecte implendum; porro, quod valet pro singulis seorsum sumptis, valet aeque bene pro omnibus illis bonis (contingentibus) **simul** sumptis; ergo nulla entia contingentia vel limitata, neque **singillatim,** neque **collective** sumpta, valent implere vel satiare illud desiderium;

2) illud desiderium tendit ad talem felicitatem, quae **semper perdurat;** atqui, evidenter **nullum** ens vel bonum limitatum (contingens) potest ex sua propria virtute **perdurare in esse,** ne pro **uno solo** momento quidem; ergo a fortiori **non poterit sufficere,** ad statum felicem alterius entis in perpetuum conservandum.

Coroll. 1. Thesis ita brevissime recapitulari potest: Existit in homine desiderium felicitatis, quod per se impleri debet; nullum bonum **limitatum** tale desiderium dare et **satiare** valet; ergo debet existere ens vel bonum infinitum.

Coroll. 2. Quoad desiderium insuper dicendum: 1) Quamvis inclinationes inferiores nullo modo constituant desiderium felicitatis, uti supra probatum est, tamen nemo negare vult, animam in statu unionis cum corpore etiam appetece bona corporalia; sed hoc **non** fit ratione illius **desiderii** felicitatis, utpote intrinsece spiritualis, sed tantum **conditionate,** scilicet ,propter conditionem illius unionis corpus inter et animam. Deinde 2) Evidens est, illud desiderium felicitatis **a priori** et **immediate** sese **non** dirigere posse ad bonum **infinitum** ut tale. Secus esset petitio principii, uti jam inculcatum est. Nihilominus dicendum est, sese dirigere ad bonum aliquod **"indefectibile";** i. e. ad bonum, quod sit capax satiandi ipsam animam eiusque voluntatem. Quod bonum **"indefectibile"** saltem **a priori,** i.e., **Deo nondum probato** vel cognito, **non cognoscitur** ut **identicum** cum bono **summo** et infinito. Hoc tantum a **posteriori,** scilicet, mediante nostra argumentatione philosophica apparet.

Schol. 1. Nonnulli catholici coeperunt ultimis annis investigare, "utrum homini insit desiderium naturale ad visionem Dei"; (cf. **Rast,** Theol. nat., pg. 46).

Hoc non posse esse aliquod problema pro philosopho catholico, est evidens. Nam ex theologia dogmatica invicte constat, Dei visionem esse statum et conditionem **intrinsece** supernaturalem, proinde non posse viribus mere naturalibus appeti nec attingi et consequenter non posse esse obiectum alicuius desiderii mere naturalis.

Schol. 2. Brevissima bibliographia de argumento eudaemonologico.

Auctores veteres.

S. Augustinus, De libero arbitrio, 1, II. c. 9. et 26; De Trinitate, 1. XIII, c. 3-7;

Confessiones, 1. X, c. 5. etc.; De Vita Beata, c. 7-12; De moribus eccl. cathol., 4 sq. Sermo 868,5; Enarrationes in Ps. 118, sermo 1;

S. Anselmus, Monologium, c. 66-73; Proslogion, c. 24-26.

S. Bonaventura, Itinerarium mentis ad Deum, in IV Dist. XLIX, q. 2, n.° 1.

Philippus a SS. Trinitate, Summa Philosophica, p. 780.

Auctores recentiores.

Urráburu, Hontheim, Boedder, Donat, Monaco, Schiffini, Lehmen-Lennerz, Gredt, Rast et multi alii cum suis respectivis compendiis de theologia-naturali.

Diversa opuscula. Zimmermann S. J., Gottesbeduerfnis als Gottesbeweis, Herder, 1919. **Grivet S. J.,** L'image de Dieu, in "Études", 1914, t. I. pg. 321, etc. et 475, etc.

Nota: Si quis pluriora scire cupit de bibliographia relate ad argumentum eudaemonologicum, ea invenire potest apud **Descoqs S.J.** (cf. Praelectiones theologiae naturalis, vol. II. pg. 146-147).

Obi. 1. Multi **non** habent tale desiderium; ergo nostra suppositio est falsa.

Resp. Dist. assert.: ita agunt, ac si illud non sentirent, conc.; de **facto** non sentiunt, peto prob. (vel potius nego.) **NB.:** Praecise propterea illud **"vacuum"!**

Obi. 2. Tunc falsum erit, nos non posse resistere? **Resp.** Non negamus, hominem agere posse contra exigentiam talis desiderii; sed negamus, hominem illud desiderium spernere posse et **simul** sese sentire **felicem**; potius **contrarium** valet, sc., quo magis homo tale desiderium **"transcendentale"** spernere conatur, eo magis erumpere et sese manifestare solet saltem in certis momentis, in quibus modo speciali sentiet illud **"vacuum"** animae; et hoc sensu valet nostra affirmatio, sc. esse desiderium **"irresi-**

stibile". Quod certo non valet de quolibet alio desiderio. V. gr., Martyres resistunt desiderio vivendi vel conservandi vitam terrenam, quin amittant internam satisfactionem vel felicitatem; immo, maximam satisfactionem internam sentiunt, spernendo omnes inclinationes terrenas, sequendo **unice unum** et **nobilissimum,** i.e. desiderium felicitatis.

Obi. 3. Felicitas perfecta in hoc ordine est **visio beatifica;** atqui nemo hanc naturaliter appetere valet; ergo saltem naturaliter non datur desiderium felicitatis.

Resp. Nego suppositum, nos in thesi agere de ordine supernaturali; deinde aliunde scimus, etiam in hoc ordine existere felicitatem licet **mere nihilominus vere** naturalem, sc. pro infantulis, qui sine baptismate moriuntur.

Obi. 4. Homo naturaliter fugit mortem et tamer mori debet. Ergo a pari non sequitur, desiderium felicitatis impleri debere.

Resp. Nego paritatem inter utramque inclinationem, uti in thesi vidimus.

Obi. 5. Animalia bruta habent desiderium non moriendi, et tamen debent mori. Ergo saltem in hoc casu principium **axiologicum** frustratur.

Resp...1) Nego iterum, tale desiderium comparari posse cum desiderio felicitatis; et 2) nego animalium finalitatem frustrari per mortem.

Obi. 6. Numquam cognoscimus omnia possibilia; ergo in vanum desideramus omne verum et omne bonum et sic iterum frustatur illud desiderium.

Resp. Conc. mai. et nego cons., cum neganda sit suppositio, sc. nos habere tale desiderium. — Quilibet vult esse perfecte felix; utrum videat omnia possibilia, an non, nullo modo influit.

Obi. 7 Saltem infantuli, qui sine baptismo moriuntur, numquam satiantur. Ergo pro illis principium axiologicum frustratur.

Resp. Dist. assert.: non satiantur supernaturaliter, conc.; non saltem naturaliter, nego. Pariter dist. cons. etc.

Obi. 8. Saltem condemnati numquam beantur; ergo in illis frustratur principium axiologicum.

Resp. Conc. assert. et dist. cons.: si condemnarentur sine propria culpa, conc.; si propter propriam culpam, nego cons.

Obi. 9. Principium axiologicum non valet Deo nondum probato. Ergo pars II.ª construitur super fundamentum falsum.

Resp. Nego assert. et ideo nego cons.

Obi. 10. Suicidium clare ostendit, hominem non habere desiderium felicitatis, secus esset impossibile.

Resp. Praecise confirmatur, talem hominem de facto sentire desiderium felicitatis; secus sibi non auferret vitam, quam ut prorsus intolerabilem sentit.

Obi. 11. Saltem multa desideria spiritualia frustrantur, v. gr. desiderium studendi mathematicam vel philosophiam, etc.

Resp. 1) Nego, esse identicum cum illo, de quo nos loquinur. Est enim desiderium "transcendentale", sc., transcendens omnia bona particularia hac in vita consequenda; 2) quia anima spiritualis satiari vult integraliter, quod saltem naturaliter nullo modo obtineri valet hac in vita; proinde nihil mirum, quod bonorum huius mundi amissio nullo modo causare solet illud vacuum, de quo supra fuit sermo.

Obi. 12. Ex desiderio felicitatis probare volumus Dei existentiam; atqui tale jam supponit Deum cognosci; ergo est circulus vitiosus.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si desiderium a priori sese referret ad Deum ipsum, elicitive et explicite, conc.; secus nego. Ideo nego cons.

Obi. 13. Desiderium dicitur "invincibile"; atqui homo peccando illud vincit; ergo, non est invincibile.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: ita ut sentiat satisfactionem veram, internam, nego; ita ut maneat aliquod "vacuum" dolorosum, concedo. Pariter dist. cons.

Obi. 14. Absurdum est dicere, hominem desiderare statum summe felicem, quin eo ipso cogitet de Deo, utpote summo et infinito bono.

Resp. Contrarium valet. Nam, si quis haberet desiderium connaturale (et elicitivum) in Deum, tunc deberet eum etiam cognoscere, et quidem connaturaliter, quod est evidenter falsum.

Obi. 15. Mathmaticus, problemate soluto, erit perfecte felix; ergo. **Resp.** Nego, eum propterea esse perfecte felicem; habet enim multas alias exigentias.

De Argumento deontologico

Praenotanda. In argumento eudaemonologico proceditur ex aliquo facto interno, empirico et summe psychologico. Simile quid valet in argumento deontologico, uti postea videbimus. Sequentes conceptus debent breviter exponi in ipsa thesi, sc.: 1) Lex et legis auctor, vel legislator; 2) sanctio et eius auctor, vel remunerator; 3) vox conscientiae. **De lege** et **conscientia** autem specialem explicationem dare volumus antequam ipsa thesis incipiatur.

De Lege

Lex a S. Thoma ita definitur: **"Est ordinatio rationis ad bonum commune et ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata"** (cf. Cathrein, Phil. moral. pg. 147 n. 200.). Definitio breviter explicatur.

1) **"rationis"**, quia nemo potest imperare vel ordinare, nisi secundum rectam rationem; 2) **"ordinatio"**, i. e. aliqua motio, obligatio procedens a voluntate legislatoris et movens voluntatem subditi; 3) **"ad bonum commune"**, et sic dupliciter distinguitur a mero praecepto, sc. a) lex datur pro **tota** communitate, praeceptum per se non; b) lex erit **stabilis** (uti communitas) et valet etiam post mortem legislatoris, quod per se iterum non valet de praecepto. 4) **"ab eo, qui curam... habet"**, i. e. non nisi suprema auctoritas et non nisi communitatis perfectae legem sensu stricto ferre potest; 5) **"promulgata"**, i. e. lex debet rite promulgari vel manifestari ipsis subditis. **Porro,** sine promulgatione habetur **lex** tantum **active** spectata; cum promulgatione etiam passive sumpta. Quibus praesuppositis, possumus considerare legem Divinam.

A. **Lex aeterna** est lex Divina tantum **active** spectata, sc. sensu **lato** est "Sapientia Divina omnia dirigens" et sensu **stricto** est **"voluntas Divina, ordinem rerum con-**

servare jubens et perturbare vetans"; ita S. Augustinus (cf. Cathrein, Eth. pg. 150, n.° 205.).

B. **Lex temporis** est eadem lex Divina active et passive spectata, i. e. cum promulgatione. Secundum diversum modum promulgationis ipsa lex temporis erit vel positiva vel naturalis. Ideo

I. **lex positiva est** lex Divina, vel potius voluntas Divina, inquantum nobis promulgatur vel manifestatur aliquo signo **positivo**, externo; iterum est duplex:

1) **Divina** (i. e. directe Divina) per Antiquum et Novum Testamentum;

2) **humana** (i. e. indirecte vel mediate Divina) est vel civilis vel ecclesiastica.

a) lex positiva **civilis** iterum est vel **poenalis** vel **non** poenalis;

b) lex positiva **ecclesiastica** est aut **directiva** aut **praeceptiva.**

II. **Lex naturalis** est voluntas Divina, nobis manifestata vel intimata non modo vel signo externo positivo, sed modo **interno** et **naturali;** quae lex naturalis iterum bifarie sumitur, sc. obiective et subiective;

1) Lex naturalis **obiective** sumpta est (proxime) natura **humana rationalis qua talis,** vel potius convenientia actus cum ipsa natura rationali ut tali (cf. Cathrein, Eth. pg. 80-86).

2) Lex naturalis **subiective** sumpta est **"vox conscientiae"**, quae bifarie sumi potest, sc. ut norma indicativa et norma imperativa;

a) conscientia ut norma **indicativa** sese dirigit ad **intellectum** et indicat, quid sit bonum et quid sit malum, vel quid sit faciendum et quid omittendum;

b) conscientia ut norma **imperativa** sese dirigit ad voluntatem, eamque quodammodo moraliter **impellit** (obligat) ad bonum faciendum et ad malum vitandum. Quam vocem vel normam Kant recte vocat **"imperativum cathegoricum"**, sed postea falso interpretatur, uti constat ex historia philosophiae;

Porro, conscientia, sive indicative sive imperative sumpta iterum dupliciter sumitur, sc. ut dictamen remote-practicum et ultimo-practicum;

aa) dictamen **remote-practicum respicit** actionem magis in **abstracto** vel est cognitio habitualis principiorum practicorum in genere moris (cf. Cathrein, Ethica pg. 183, n. 250.) et vocari solet **"synteresis"** (ib.);

bb) dictamen **ultimo-practicum** respicit actionem hic et nunc in **concreto** et est dictamen vel vox conscientiae sensu **strictissimo.** De quo erit quaestio in argumento deontologico et de quo statim perpauca dicenda sunt.

De Conscientia

Vocabulum conscientiae tripliciter sumi solet, scilicet.

1) ut **actus,** quo experimur phaenomena interna **psychica,** quo sensu psychologi loqui solent, praesertim in parte experimentali. Deinde sumi solet

2) ut **actus,** quo experimur vel percipimus **legem naturalem,** sc. illam normam indicativam et praesertim imperativam; ita multi philosophi scholastici.

3) Conscientia etiam sumitur ut **ipsa lex,** i. e. ipsa voluntas Divina, **qua** et in quantum nobis naturaliter impressa vel intimata; et **post** opus eadem vox percipitur vel ut aliqua **reprehensio** vel ut **laus** et intima consolatio (=**sanctio** interna negativa et positiva). Ita v. gr. **Grou S. J.:** "Das, was man die Stimme des Gewissens nennt, ist die Stimme Gottes selbst, welche uns ermahnt, zurechtweist, erleuchtet und leitet" (cf. Grou, Handbuch für innerliche Seelen, Münster in. W. 1914, pg. 19). Quo ultimo sensu nos loquimur, utique, **non sub formali** ratione **legis,** sed tantum ut de aliquo **facto empirico** interno, maxime noto. Quibus suppositis ad ipsam thesim:

THESIS 11. Ex voce conscientiae probatur Deus ut supremus legislator et ut supremus remunerator. (= Argumentum deontologicum).

Nomen provenit e graeco **"déon"** = debitum, obligatio;

Notiones. I. **Legislator** est ille, qui condit leges;

II. **Remunerator** est ille, qui dat praemium pro opere bono et poenam pro legis transgressione;

III. **Conscientia** est illa vox, quae nos moraliter impellit vel movet et excitat ad bonum faciendum et malum vitandum. (**"Fac hoc!" — "Omittas illud"**).

Et **post** opus nos laudat, si fuerit opus bonum et vituperat, si opus fuerit malum.

IV. **Sanctio** est ipsum praemium pro opere bono et poena pro opere malo. In primo casu vocatur sanctio **positiva** et in secundo **negativa**; utraque est aut perfecta aut imperfecta;

1) sanctio **perfecta** est illa, quae perfecte correspondet operi, vel saltem **per se** est capax hominem efficienter movendi ad bonum faciendum et malum vitandum;

2) sanctio imperfecta est illa, quae saltem **ex se** est insufficiens, ad hominem efficaciter movendum ad bonum faciendum et malum vitandum. Utraque est vel interna vel externa.

a) sanctio **interna** est pax cordis opere bono peracto et remorsus peccato commisso;

b) sanctio **externa** sunt bona respective mala externa, uti v. gr. divitiae, vel paupertas, honores vel ignominiae, etc. et in altera vita correspondentia bona respective mala.

Adversarii. 1) **Kant** propter falsam interpretationem vocis conscientiae; 2) alii, uti **Feuerbach, Spencer, Paulsen,** etc.: vocem conscientiae provenire ex educatione et vita sociali.

Sensus theseos. 1) **Negative:** a) non procedimus ex **necessitate** legis (uti v. gr. **Rast,** cf. pg. 51-52) neque b) ex **sola existentia** legis (uti v. gr. **Hontheim**, cf.. pg. 134-136), quamvis uterque modus sit omnino legitimus.

2) **Positive:** Sed procedimus tantum ex **facto interno empirico,** sc. ex illa voce conscientiae, sed **non** sub eius formali ratione legis ut talis, sed solum ex **puro** et simplici facto empirico, uti supra jam dictum est. In **I.ª parte** probatur Deus ut supremus legislator et in **II.ª parte** ut supremus remunerator.

Pars I. Ex voce conscientiae probatur Deus ut supremus legislator.

Argumentum. Experitur aliqua **vox** nobis interna, nos quodammodo impellens ad bonum faciendum et malum vitandum; (= verus **"imeprativus cathegoricus"**, licet non sensu kantiano); **atqui** nullum ens finitum potest esse eius auctor; **ergo** debet existere aliquod ens supremum, quod sit eius ratio sufficiens.

Ad min. 1) certo **non ego;** quia illa vox clamat independenter a me, immo, me plane reluctante manet illa vox; 2) **non aliud** ens finitum; nam a) iterum est omnino independens ab aliis; immo, si totus mundus me impelleret ad malum faciendum eo altius clamaret illa vox: "Ne facias! Non tibi licet!"; b) illa vox est nobis **intima** et connaturalis, quam proinde nemo imprimere valet, nisi auctor ipsius animae; atqui nullum ens finitum potest esse auctor animae, ergo, nec eius vocis.

Pars II. Ex voce conscientiae probatur Deus ut supremus remunerator.

Argumentum. Illa vox, opere bono peracto, nos laudat, et opere malo comisso, causat remorsus; **atqui** nullum ens finitum potest esse ratio sufficiens talis facti; **ergo** debet existere tale ens supremum ut ratio sufficiens.

Ad mai. Quod maxime constat in tentationibus gravissimis, sc. si quis fortiter resistit, respective peccat.

Ad min. 1) certo **non ego;** est absolute independens a mea voluntate, immo, quo magis voluntas exstirpare conatur talem remorsum, eo magis sentitur, saltem in certis occasionibus; 2) **non** provenit **ab alio** ente finito; nam, quo magis mundus totus persequitur hominem **justum**, eo profundius sentitur pax et tranquillitas cordis. Deinde iterum inculcandum, esse factum nobis connaturale, ideoque in nobis causari non posse, nisi ab ente, quod sit ratio adaequata ipsius naturae.

Coroll. 1. Posset aliquis dicere, nos tantum probasse, Deum esse de facto auctorem illius vocis, sed non legislatorem neque remuneratorem. **Resp.** Saltem in fine argumentationis clare elucet, illam vocem esse **veram le-**

gem respective **veram sanctionem** moralem; ideo, si probavimus, Dum esse auctorem, eo ipso probatum erit, esse legislatorem et remuneratorem, uti constat ex **definitione** legislatoris et remuneratoris.

Coroll. 2. Si quis diceret, talem vocem non inveniri in homine abnormali, tunc dicendum esset hoc: 1) Ad nostram thesim probandam per se sufficeret loqui de homine normali; deinde 2) falsum est, tale factum empiricum solum manifestari in subiecto normali. Individua, secus valde pathologica, non raro vehementissimos remorsus sentire solent, uti constat ex criminologia moderna.

Schol. 1. Rast in aliquo scholio ita scribit: "Multi auctores procedunt ex facto psychologico obligationis, quod requirit ut ultimum fundamentum ontologicum Deum auctorem naturae. — Ut hoc argumentum valeat, debet constare de obligatione non mere subiectiva... (Gewissenserlebnis) sed de obligatione obiectiva" (cf. Rast pg. 53, n.° 88.).

At dicendum: 1) Jam expresse diximus, modum procedendi ipsius Rast esse prorsus legitimum; 2) Nullibi negamus, hominem cognoscere posse legem moralem ut talem independeter a Dei cognitione; 3) nihilominus ab hoc **abstrahimus** in thesi; a) ad certas difficultates (licet non insolubiles) vitandas; b) quia de facto noster modus procedendi omnino probat, uti vidimus. Deinde 4) dicendum: Evidenter non negamus, illud factum empiricum et psychologicum directe conecti cum **libera** hominis volitione; et sic saltem **implicite** affirmamus, quod Rast **explicite** proponit ut fundamentum argumenti. Negamus autem, ultimum esse necessarium, ad argumentum solide proponendum.

Schol. 2. Contra aliquos scholasticos sequens **assertum** proponitur: **"Vox conscientiae, ut norma indicativa identificari nequit cum intellectu".**

Argumentum 1. Si vox conscientiae ut norma indicativa esset identica cum intellectu, tunc eadem vox ut norma imperativa esset identica cum **nostra voluntate**

atqui hoc ultimum est certo falsum; **ergo** etiam primum concedi nequit.

Ad mai. Est evidens, cum sit in eadem linea.

Ad min. Nam talis affirmatio esset error **kantianus**, uti elucet ex Ethica et ex historia philosophiae.

Argumentum 2. Omnis lex moralis, sive positiva sive naturalis, est voluntas Divina, nobis determinato modo promulgata; ideo vox conscientiae, utpote lex naturalis, est voluntas Divina, nobis naturaliter intimata; (cf. Grou S. J.) **atqui** Dei voluntas evidenter identificari nequit cum nostro intellectu; **ergo** etc.

Obi. 1. Forte angelus est auctor illius vocis? **Resp.** Nego, 1) cum illa vox sit nobis connaturalis; 2) cum sit "imperativus absolute cathegoricus".

Obi. 2. Deus non potest esse causa illius vocis, cum Deus non possit esse causa activitatis vitalis.

Resp. 1) Nego assert.; **ad prob.**; dist.: non est causa primaria, nego; non secundaria et eliciens, uti creatura, concedo; 2) negandum, illam vocem esse plane identicam cum activitate mere vitali.

NOTA: In **asserto** (Schol. 2.) jam vidimus, vocem conscientiae **non** posse identificari v. gr. cum intellectu; ideoque neque cum alio actu vitali elicitivo.

Obi. 3. Multi athei honeste vivunt. Ergo ad ordinem moralem firmandum non requiritur auctoritas infinita.

Resp. 1) Prorsus negandum est, illos agere vitam honestam. Atheus enim ex suo conceptu spernit primum et principale ex praeceptis Divinis, uti alio loco adhuc videbimus. 2) Etsi assertum esset verum, maneret semper verum, etiam illos sentire illam internam vocem. Et hoc sufficit pro nostro argumento.

Obi. 4. Multi fideles male vivunt. Ergo, ad rectum ordinem stabiliendum parum juvat obligatio Divina.

Resp. Similiter respondendum, sc., non esse contra nostrum argumentum.

Obi. 5. Ad conceptum legis pertinet legislator; ergo in argumento jam supponitur, quod est probandum. (cf. obi. 2.)

Resp. Dist. assert.: saltem aliquis legislator, conc. vel. trans.; eo ipso legislator supremus, nego. Nam hoc

ultimum tantum a posteriori elucet. Insuper iterum inculcandum, nos non procedere ex facto interno sub formali ratione legis.

THESIS 12. Deum existere constat ex persuasione omnium gentium. (= argumentum ethnologicum).

Notandum. Nolumus proponere ipsum argumentum in aliqua forma completa. Quod vix fieri potest in parvo compendio. Ideo conteti sumus cum brevissimo aliquo conspectu argumenti. Si quis pluriora de hoc legere vult, videat documenta a W. **Schmidt S. V. D.** proposita, vel expositiones **Christ. Pesch,** vel opus ipsius **V. Cathrein,** etc.

Nomen provenit de graeco **"éthnos** = gens, populus.

Sensus theseos. 1) Non loquimur de singulis hominibus, sed de ipsis populis vel gentibus et quidem omnium temporum. 2) Non loquimur de Deo secundum nostrum conceptum stricte scientificum; 3) Neque erit quaestio de unicitate Dei, proinde 4) dicimus ita: Omnibus gentibus intime persuasum fuit, extra et supra potestates humanas atque mundanas existere debere aliquam protestatem supramundanam, a qua omnes homines de facto dependeant. Utrum sit ens personale an non, forte non semper tam clare elucet ex populorum traditione, quamvis v. gr. Hontheim probare videatur Deum ut ens personale ex populorum persuasione; (cf. Hontheim, theod. pg. **141-147**).

Argumentum. Existere aliquam potestatem supramundanam de qua omnes homines prorsus dependeant, fuit semper persuasio omnium gentium. Atqui talis intima omnium populorum persuasio in re tanti momenti fundari videtur in ipsa natura humana rationali, quae non potest per se deficere; ergo existere debet tale ens supremum, supramundanum.

Ad mai. cf. Victor Cathrein S. J. "Der Gottesbeweis bei den fremden Voelkern"; idem opus adhuc fusius elaboratum invenitur apud W. Schmidt S. V. D.

Ad min. Sic argumentum fundatur supra solidum fundamentum principii axiologici, de quo jam saepe fuit sermo.

Obi. 1. Persuasio universalis falli potest, uti v. gr. persuasio de motu solis et terrae. **Resp.** Conc. factum et nego paritatem.

Obi. 2. Existunt fere 500 milliones buddhistae, qui sunt atheistae; **Resp.** Sunt, paucis eorum philosophis exceptis, potius polytheistae, ergo non athei.

Obi. 3. Tamen multi philosophi sunt athei. **Resp.** Trans., quia non loquimur de singulis hominibus.

APPENDIX AD PARTEM II.

Assertum 1. Deus ut ens aeternum probatur ex rerum temporalitate. (= argumentum chronogonicum).

Nomen provenit e graeco "chrónos" (= tempus) et "gignomai" (= fieri).

Sensus theseos vel asserti. Ex rerum **temporalitate**, i. e. ex facto, quod entia mundana aliquando coeperunt, colligitur existentia alicuius entis, quod non sit temporale sed aeternum, et quod influxu suo physico sit ratio sufficiens omnium entium temporalium. Sed statim

Notandum: Adhuc non erit quaestio de creatione ut tali; neque confundi debet argumentum chronogonicum cum tychologico vel cosmologico. Nam, non obstante certa similitudine, manet semper nota distinctiva argumentationis, cum procedatur ex temporalitate rerum qua **tali.**

Adversarii. 1) Sunt omnes, qui defendunt aeternitatem mundi, proinde etiam illi scholastici, qui serio putant, creationem aeternam esse possibilem.

Argumentum. Res mundanae ortae sunt in **tempore** (ideo sunt "temporales"); atqui res ortae in tempore vel temporales necessario supponunt ens aeternum, (quia secus deesset ratio sufficiens); ergo tale ens aeternum de facto existit.

Ad mai. Ortae sunt in **tempore.** Nam incipere vel oriri ex suo conceptu metaphysico est transitus de statu potentiali in correspondentem statum actualem. **Atqui** talis transitus fieri nequit nisi in **quandocationibus successive** diversis (nihil refert, utrum talis successio fiat modo **"continuo"**, an modo "instantaneo" vel in **"instanti"**, quod ultimum valet de creatione, uti suo tempore videbimus). **Atqui,** "fieri in quandocationibus successive diversis" est plane idem ac fieri in tempore. Ergo res mundanae ortae sunt in tempore, et sic probata est praemissa maior.

Ad min. Res temporales necesario supponunt **ens aeternum,** quod sit ratio sufficiens, nam: nullum ens temporale habet in se sufficientiam pro suis quandocationibus successive diversis; ideo ad hoc indiget alio; atqui, quod valet pro singulis seorsim sumptis, valet aeque bene, immo a fortiori pro tota illa serie determinata entium **temporalium;** ergo extra et supra illam seriem entium temporalium existere debet ens aeternum, quod influxu suo physico sit ratio sufficiens rerum **earumque quandocationum successive diversarum.**

Coroll. Mundum, ideoque quamlibet rem mundanam, uti atomum, moleculam, etc. coepisse in tempore a fortiori probari valet, si jam supponitur Dei existentia ut probata; (qui modus utique in argumento non licet, cum Dei existentia praecise debeat probari). Dei existentia ut probata supposita, argumentatio pro rerum temporalitate ita sonaret:

Argumentum. Creatio (terminative sumpta) nihil est nisi rei transitus de potentialitate pura ad statum actualem; **atqui** nullus transitus de potentia in actum fieri potest nisi in quandocationibus successive diversis (utrum sit successio continua an instantanea, nihil refert, uti supra jam notatum est); **atqui** hoc est plane idem ac in tempore; ergo omnia entia facta sunt in tempore;

Ad concl. Ideo creatio ab **aeterno** ex conceptu creationis omnino repugnat, quia eo ipso, quo aliquid creatur, incipit tempus pro illa re. Sed de hoc fusius erit sermo in parte V.ª

Schol. Quoad illud, quod modo diximus de creatione "aeterna", posset aliquis ita arguere: Si repugnat creatio ab aeterno, tunc aeque bene repugnat, Deum creare **posse** ab aeterno. **Resp.** Nego cons., cum neganda sit paritas. Nam in primo casu adest repugnantia ex parte creaturae, vel ex parte creationis terminative sumptae; in secundo casu autem nulla adest repugnantia, cum adhuc nullus terminus finitus adsit. Unice respicitur Dei infinita et aeterna potentia. Aliis verbis: In ipsa Divina potentia, utpote stricte infinita, nulla adest successio,

nec adesse potest. In executione ad extra necessario adest aliqua successio quandocativa, uti ostendimus in argumento. Ideo dicendum:

1) Deus, utique, ab aeterno creare potest. Sed eo ipso, quo de facto creat, jam incipit tempus, saltem pro ipsa re, quae hic et nunc creatur, neque antea, neque postea.

2) Confusio nonnullorum videtur in hoc, quod putant, aeternitatem esse quodammodo tempus infinitum. Quod evidenter esset conceptio falsa de aeternitate. Pluriora de aternitate dicenda erunt in parte III.ª

Obi. Argumentum nostrum non est completum; nam non sufficit probare, res mundanas ortas esse in tempore, sed prius probandum erit, eas de facto et necessario **ortas** esse.

Resp. Hoc esset omnino superfluum. Nam in argumento cosmologico et tychologico idem luculenter ostenditur. Proinde in argumento chronogonico attendendum est explicite ad **temporalitatem** ipsius ortus vel originis, et non, saltem non explicite ad ipsum ortum vel originem.

Assertum 2. Deum existere ut ens unicum elucet ex rerum unitate in multiplicitate. (= argumentum **henologicum**).

Nomen provenit e graeco **"hén"** = unum.

Sensus theseos. In rebus mundanis tum in macrocosmo tum in microcosmo admirabilis observatur unitas in multiplicitate rerum, cuius ratio sufficiens inveniri non posset nisi in aliquo ente supremo et stricte **uno.**

Adversarii. Sunt illi scholastici, qui putant, argumentum henologicum esse plane idem ut teleologicum. Non autem ita esse, jam vidimus in illa ocasione.

Argumentum. Existit unitas in multiplicitate; atqui talis unitas necessario supponit ens supremum et unum, ut rationem adaequatam talis unitatis. Ergo tale ens de facto existit.

Ad mai. Luculenter patet ex diversis disciplinis naturalibus, praesertim ex theoria atomica, ex astronomia, etc.

Ad min. Nam singula entia inter se tam diversa in se certo non habent sufficientiam pro illa unitate. Porro quod valet pro singulis sorsum sumptis, valet a fortiori pro omnibus collective sumptis. Nam, uti recte dicit Hontheim, collectio ac pluralitas esset potius ratio disparitatis quam unitatis. Ergo, existere debet ens unum vel unicum, ut ratio sufficiens illius unitatis.

Coroll. 1. Hoc ens unum vel unicum esse ens "a se", facile probatur sc.: Si esset ab alio, tunc non posset esse ratio sufficiens vel principium adaequatum illius mirabilis unitatis rerum. Atqui, de facto existere debet tale principium. Ergo hoc non potest esse nisi ens a se.

Coroll. 2. **Differentia** inter argumentum teleologicum et henologicum:

1) in primo argumento probatur Deus ut ens sapientissimum, in secundo de illo attributo Divino nihil explicite dicitur. 2) In primo argumento probatur existentia Dei ex conspiratione ordinatissima i. e. ex rerum finalitate; in secundo autem, licet idem, tamen alio modo, sc., ex illa conspiratione inquantum est una, et ad unum eundemque finem ultimum, saltem empirice ultimum. Ideoque falsum esset dicere, secundum argumentum esse meram repetitionem primi. Si quis pluriora de hoc scire cupit, videat apud Hontheim; (cf. comp. pg. 86-93).

Obi. 1. Argumentum nostrum favet pantheismo. **Resp. Nego;** nam dicere, Deum esse principium unitatis omnium rerum, non est idem ac dicere, Deum esse identicum cum rebus mundanis.

Obi. 2. Ex rerum multiplicitate potius sequi videtur polytheismus. **Resp.** Dist.: si non esset unitas in multiplicitate, conc., vel tr.; secus nego.

Obi. 3. Unitas rerum est merum ens rationis. **Resp.** Nego; nam v. gr. illam unitatem in atomis, etc. esse veram realitatem, invicte constat ex scientia naturali.

Obi. 4. Possunt esse 2 homines caeci, quin sit causa vel ratio communis talis caecitatis utriusque hominis.

Resp. 1) Non probamus thesim ex qualicumque similitudine rerum. 2) Sumamus exemplum alio modo: v. gr. si 100 vel 1000 homines determinatae civitatis ho-

die hora sexta simul fierent caeci, tunc quilibet homo sponte sua diceret, debere adesse aliquam causam communem et unam determinatam, secus phaenomenon explicari non posset.

Assertum 3. Existere Deum ut ens summe reale, sc., actuale, sequitur ex rebus possibilibus (= argumentum ideologicum).

Conceptus. Ex ontologia scimus, possibilitatem intrinsecam consistere in "sociabilitate notarum" (cf. Frick, Ontologia, pg. 63 n. 101). Ex eodem fonte scimus, possibile sensu stricto sumptum sese extendere ad ea sola, "quae existere possunt, actu tamen non existunt" (cf. ib. n. 100). Ideoque ens possibile recte vocatur entitas vel realitas **"metaphysica"** in oppositione ad realitatem "physicam" vel actualem. Quo sensu loquendo recte dicere solent scholastici, **possibilia** esse rerum **essentias metaphysicas.** Porro, cum essentiae rerum metaphysicae sint "aeternae", "immutabiles" et **"necessariae"**, (cf. Frick, Ontol. pg. 50-51 n. 78), sequitur, ex **possibilibus,** utpote identicis cum rerum essentiis metaphysicis, non tantum colligi posse ens summe reale, sed etiam ut ens absolute necessarium, aeternum et immutabile. Ex dictis autem statim elucet, talem illationem non esse simplicem repetitionem argumenti tychologici, respective chronogonici necnon argumenti cinesiologici. Quod maxime apparet ex ipso argumento.

Adversarii. Sunt certi scholastici, qui putant, argumentum nostrum esse ultimatim fere idem uti argumentum ontologicum. Alii putant, Deo nondum probato, nos non habere conceptum legitimum de possibilibus, cum fundentur in essentia Divina. Contra quos urgendum est, Divinam essentiam esse fontem ultimum et ontologicum, (cf. Frick, Ontol. pg. 86-93). Proinde non requiritur cognitio Dei existentiae, ut habeamus conceptum legitimum de rerum possibilitate, quae proxime consistit in rerum notarum sociabilitate, uti modo vidimus.

Argumentum. Essentiae rerum sunt aeternae, immutabiles, necessariae, (cf. supra) **atqui** nullum ens tem-

porale, mutabile et contingens potest esse ratio sufficiens talis aeternitatis, immutabilitatis et necessitatis; **ergo** debet existere ens aeternum, immutabile et necessarium; **atqui** non sufficit, quod sit ens ideale et mere possibile, sed debet esse ens summe reale, physicum. Ergo, tale de facto existit.

Ad min. primam. Ens temporale, mutabile et contingens non posse esse rationem sufficientem invicte elucet ex illis quae audivimus in argumento chronogonico, respective cinesiologico et tychologico.

Ad min. secundam. sc., debet esse ens reale **actuale**, vel **physicum.** Nam, ens possibile est id, quod est in potentia (obiectiva) ad actum (i. e. ad existendum) ideo debet transire posse ad illum actum, secus non jam esset ens possibile. **Atqui** si illud ens (quod sit ratio sufficiens rerum possibilitatis) ipsum non esset ens reale physicum, i. e. actu existens, tunc evidenter non posset entia mere possibilia traducere in actum. Ideo principium ontologicum vel ratio vere sufficiens rerum possibilium (vel rerum essentiarum metaphysicarum) debet esse ens actuale, uti modo dictum est in secunda minore.

Coroll. Hoc ens esse idem ac ens a se, patet. Nam, si non esset a se, tunc nec esset aeternum, nec necessarium, nec immutabile, quod tamen requiritur, uti vidimus in argumento. Ergo, nihil remanet, nisi ut sit a se.

Schol. Ex thesi facile patet, argumentum nostrum non esse identicum cum ontologico. Nam 1) nostrum argumentum est a posteriori, illud non; 2) ideae vel essentiae rerum vel earum possibilitates non sunt conceptus pure logici, uti in illo argumento supponi solet.

Obi. 1. Aeternitas, immutabilitas, etc. sunt attributa solius Dei propria; ergo rerum essentiae non sunt aeternae, etc.

Resp. Dist. assert.: sensu absoluto, conc.; sensu relativo, nego; i. e. sensu relativo sunt notae ipsis rerum essentiis propriae.

Obi. 2. Dei existentia cognosci nequit, nisi per principium causalitatis; atqui in nostro argumento non adhibetur. Ergo.

Resp. Nego mai.; nam potest probari mediante principio rationis sufficientis, uti fit in nostro argumento, vel per principium axiologicum, ut in eudaemonologico.

Assertum 4. Probatur Dei existentia ex lege entropiae. (= argumentum **entropologicum**).

Hoc argumentum procedit ex lege **"entropiae"**, quae ita sonat: 1) In omnibus mutationibus anorganicis (electricis, thermicis, mechanicis, radioactivis, etc.) semper producitur calor. (= prima pars legis, quam probavit **Clausius**). 2) Omnia corpora naturalia appetunt aequilibrium inter eorum energias moleculares. (= pars secunda legis, quam probavit **Boltzmann**). — (Cf. Herder, Lexicon, vol. IV pg. 250-251).

Nota: Cum modus procedendi in argumento videatur similis uti v. gr. in argumento cinesiologico (saltem secundum Rast, qui procedit ex activitate empirica, cf. comp. pg. 31-38), non erit necessarium, ulterius explicandi hoc argumentum entropologicum.

Assertum. 5. Existere Deum ut spiritum omnipotentem, probatur ex spiritualitate animae humanae. (= argumentum **anthropologicum**).

Sensus asserti. Anima humana, utpote ens spirituale, immateriale et intrinsece independens a materia, nullo modo oriri potuit ab aliquo organismo mere sensitivo vel animali, sed debuit immediate produci (creari) ab ente increato, quod est Deus.

Argumentum. Anima humana, utpote ens spirituale, aliter oriri non potuit, nisi creatione ex nihilo; atqui nullum ens finitum tale quid praestare valet; ergo, debet existere ens infinitum, omnipotens, quod talem productionem causavit.

Ad mai. Nam 1) non potuit provenire ex materia parentum, cum anima sit spiritus; neque 2) potuit ema-

nare ex anima parentum, propter simplicitatem utriusque animae, sc., parentis et filii;

Ad min. Ens finitum tale quid praestare nequit, cum secus ens ab alio esset ratio sufficiens alterius entis, quod prorsus repugnat. Ulteriora de hac quaestione dicenda erunt in parte quinta huius tractatus.

Assertum 6. Deum existere ut ens extramundanum colligitur ex biologia. (= argumentum **biologicum**).

Argumentum. Ex biologia constat, primam vitam ortam esse non ex anorganicis. Idem philosophice probatur in cosmologia organica. Atqui tunc nulla alia manet explicatio legitima, nisi admittetur aliqua causa extramundana, quae vitam in hoc mundo induxerit. Ergo tale ens existit.

Nota: Tale ens non posse esse ens finitum, facillime probari potest.

Assertum 7. Dei existentia invicte constat ex factis miraculosis. (= argumentum **thaumatologicum**).

Argumentum. Historice et critice constat, existere et per tot saecula exstitisse certa facta, sive physica sive moralia, quae nullo modo explicari valeant modo naturali; immo saepe clare constat, talia facta a nullo ente finito causari posse vel potuisse. Ergo, modo peremptorie sequitur, debere existere aliquod ens non tantum supramundanum, sed prorsus infinitum, quod vocatur Deus.

Assertum 8. Existere Deum, utpote infinite perfectum, sanctum et omnipotentem constat ex vita Domini Nostri Jesu Christi. (= argumentum **Christologicum**).

Praenotanda: 1) Quamvis haec duo ultima argumenta sint omnino bona et philosophice elaborata, nihilominus generatim in tractatu apologetico proponi solent. Ultimum, sc., Christologicum variis modis proponi potest.

In nostro asserto proponitur duplici modo, uti statim videbimus.

2) **Adversarii** argumenti thaumatologici sunt omnes, qui negant possibilitatem miraculorum; argumentum Christologicum negant illi, qui reiciunt Christum Dominum ut veram personam historicam, uti generatim **modernistae**.

Argumentum 1. Historice constat, Christum Dominum fuisse non tantum verum hominem, sed 1) fuisse hominem **sanctissimum, sapientissimum, potentissimum,** et 2) ipsum patrasse vera et proprie dicta **miracula** et quidem ex **propria** sua potestate et 3) ipsum affirmasse sese esse Deum; ATQUI si talis homo, tam sapiens et tam sanctus affirmat, et quidem tam energice affirmat, sese esse verum Deum, tunc hoc debet esse verum et non potest esse falsum. ERGO Christus Dominus est verus Deus. ERGO Deus de facto existit.

Argumentum 2. Per fere 20 saecula totus mundus catholicus conspirat in laudem et gloriam ac honorem Christi Domini; ATQUI homo qui tali et tam constanti gloria gaudet, (gaudet etenim gloria Dei) et quidem in toto orbe, ita ut gloria in dies crescat, talis homo debet esse plus quam mera creatura; ergo, est ipse Deus.

De atheismo

Praenotanda. In praecedentibus absolvimus argumenta ad Dei existentiam probandam. Dei existentia est proinde veritas jam naturaliter plane nota et fundamentum totius vitae religiosae et moralis. Ideo qui hanc veritatem negare audet, erit proculdubio homo stultus et insipiens testante propria Sacra Scriptura, uti jam vidimus. (Cf. Lib. Sap. c. XIII v. 1.).

Porro, spectata facilitate, qua homo pervenire valet ad notionem de Deo, oritur cum logica et psychologica consequentia aliquod problema non facile, scilicet, quomodo possint esse homines, quibus persuasum est Deum non existere, vel qui ne notionem quidem habere videntur de Deo.

Propterea, antequam incipiamus cum parte tertia nostri tractatus, debemus breviter exponere thesim de atheismo.

THESIS 13. Impossibilis videtur atheismus negativus, saltem ad longum tempus, possibilis autem positivus, licet probabilius non sine culpa.

Notiones. I. Athei **practici** sunt illi, quid Dei existentiam, omnino affirmant, tamen ita vivunt, ac si Deus non existeret. Sunt omnes illi, de quibus **S. Paulus** dicit, esse **"inimicos crucis Christi;"** (cf. Phil. C. III. v. 18).

II. Athei **theoretici** sunt, qui Dei existentiam ignorant, vel positive negant; existit proinde duplex classis atheorum, sc., positivi et negativi;

1) athei **negativi** sunt, qui simpliciter **ignorant** Deum, qui nullam de Deo habent ideam vel notionem;

2) athei **positivi** sunt, qui quidem ideam vel notionem habent de Deo, (quocumque modo acquisitam) sed nihilominus negant eius existentiam. Qui athei positivi iterum in tres classes dividi solent, sc., in scepticos, agnosticos, dogmaticos.

a) **sceptici,** qui putant, Dei existentiam **certo** probari **non** posse.

b) **agnostici,** qui dicunt, Dei existentiam **nullo modo** probari posse, ne probabiliter quidem; tamen non directe et absolute negant, Deum existere; (**"ignoramus"**).

c) **dogmatici** sunt illi, qui **positive** negant Deum existere. Iterum distingui potest duplex gradus atheismi dogmatici, scilicet:

aa) aliqui positive et **simpliciter** negant Deum existere, quin ulterius progrediantur in affirmatione;

bb) alii non tantum positive et simpliciter negare conantur Dei existentiam, sed positive **probare** volunt, Dei existentiam esse **impossibilem.** Esse adhuc differentiam inter utramque classem atheismi dogmatici, cuilibet clare apparet.

Sententiae. 1) quoad **partem I.** theseos existit duplex opinio auctorum scholasticorum, praesertim theologorum, sc.: a) aliqui putant, atheum negativum esse

omnino impossibilem; b) alii concedunt, ignorantiam Dei, saltem per aliquod tempus esse posibilem. — Quaenam ex his duabus opinionibus sit probabilior, videbimus in corollario. In toto casu **neutra** sententia est contra thesim nostram.

Secundum Rast **Card. Billot** esset adversarius partis I. theseos, cum defendat opinionem, existere homines, qui per totam vitam invincibiliter ignorent Deum, ideoque quoad aetatem moralem aequiparandi infantulis, licet forsitan maxime exculti sint quoad civilisationem. (Cf. Rast, theod., pg. 95, n. 174.) — Nobis autem videtur, sententiam Cardinalis non esse plane impossibilem, cum civilisatio moderna omnino existere possit in subiecto graviter pathologico, sive intellectualiter, sive emotionaliter, uti certo constat ex psychologia-experimentali.

Alii putant, **Descoqs** esse adversarium partis primae, cum defendat, atheismum negativum esse possibilem per totam vitam. At dicendum, illum expresse loqui de conditionibus **abnormalibus,** (cf. Descoqs, theod. vol. II. pag. 474) et sic potius confirmat nostram sententiam.

2) Quoad **partem II.** vix erit discrepantia inter scholasticos, saltem relate ad atheismun **scepticum** et **agnosticum.** Sed sunt, qui negare videntur atheismum dogmaticum in homine sana ratione gaudenti. Ita v. gr. **Bangha S. J.** putat, non nisi hominem vere mente captum positive et serio negare posse Dei existentiam; (cf. Bangha, Welt und Ueberwelt). Si Bangha forte loqui vult de atheismo dogmatico in sua forma extrema, tunc nobiscum sentit.

3) Quoad **partem III.** generatim omnes concedunt, saltem **initio** adesse culpam in atheo positivo. Pauci hoc negare solent, uti v. gr. **P. Claeys Bouueaert** (cf. Descoqs, vol. II. pg. 465-466). Scholastici, praesertim theologi, disputare solent quoad gravitatem culpae.

Sensus theseos. 1) **Negative:** non loquimur de atheismo **practico;** talem esse non tantum possibilem, sed de facto existere, nemo negare vult.

2) Loquimur proinde de atheismo **theoretico** tantum et quidem de negativo et positivo et dicimus ita:

a) atheismus **negativus** est **per se impossibilis,** saltem per **longum** tempus. Ulterior explicatio sensus

huius partis primae sequitur in illa NOTA immediate ante ipsum argumentum.

b) atheismus autem **positivus** videtur **possibilis,** et quidem ad longum tempus, immo, usque ad mortem. Loquimur non tantum de atheismo sceptico et agnostico, sed etiam de **dogmatico,** licet in sua forma **minus** rigida, et dicimus cum Rast "concedimus, existere homines, qui habent certitudinem **subiectivam** de non-existentia Dei, et quidem usque ad mortem" (Rast, theod., pg. 94. n. 173.) — **Obiectiva** autem certitudo de non-existentia Dei haberi non potest; ideoque videtur impossibilis atheismus positivus in sua forma extrema, sc. in homine intellectualiter **normali**.

c) In **tertia parte** probabitur breviter, atheismum possitivum existere non posse, sine formidine errandi et consequenter **non sine aliqua culpa.** Dicimus, hoc esse saltem **probabilius.** Si quis idem ut certum affirmaret, evidenter non esset adversarius. De gravitate culpae talium homium nolumus disputare, sed cum Hontheim "relinquimus eos infinitae Dei misericordiae et justo judicio (cf. Hontheim, theod., pg. 216, assert. 3).

Pars I. Impossibilis videtur atheismus negativus, saltem per se et ad longum tempus.

Praenotanda: I. Dicitur **"per se"**, i. e. loquimur de conditionibus requisitis et omnino normalibus, sive intrinsecis, sive extrinsecis. Proinde.

1) loquimur de homine **adulto** et non de infantulis;

2) loquimur de homine **normali,** sc. de illo, qui distinguere valet inter honestum et inhonestum; ideoque excludimus in thesi, scilicet in parte prima

a) **idiotas** vel **amentes** et **imbecillos** ingenii;

b) **mente captos,** sc. illos, qui numquam vel saltem fere numquam usu rationis gaudent.

c) excludimus omnes illos, qui a prima juventute moraliter maxime **depravati** sunt, sive propter pessimam educationem, sive propter dispositionem graviter pathologicam, qui proinde pertinent ad chorum graviter anormalium.

II. Dicimus ad **longum tempus,** i. e. per annos. Non negamus possibile esse per breve tempus, cum Dei exi-

stentia **non** sit veritas **immediate** nota. Ideo ad talem cognitionem acquirendam videtur requiri certum temporis spatium, quo iterum erit diversum secundum diversas circumstantias.

III. **Non** loquimur de notione stricte philosophica sed **vulgari** tantum; neque de notitia **clara** et **distincta** unius Dei, uti recte inculcat Hontheim; (cf. comp. pg. 216, assert. 2 et 3.).

IV. Ideo **sensus** huius partis theseos his fere verbis complecti valet: **Homo adultus et spiritualiter evolutus neque gravi pathologiae subiectus, neque a prima juventute maxime depravatus, non potest talem saltem vulgarem de Deo notionem ad longum tempus ignorare.**

Nota. 1) si quis fere ab initio, i. e. post primum usum rationis tam depravate viveret, ut non sine propria culpa in statum pathologicum caderet, (quod semper possibile est secundum psychopathologiam modernam), tunc consequens ignorantia Dei iterum esset non per se sed **per accidens,** et sic non contra thesim.

2) Dubia, quae forte contra hanc primam partem oriri possunt, generatim proveniunt ex **non**-attentione ad singula puncta modo allata, vel ex deficientia in factis examinandis, vel tandem ex eo, quo aliquis non rite cogitat de supremis principiis et de indole humana, quod ultimum maxime inculcatur in argumento nostro.

Argumentum. Quilibet homo normalis usu rationis gaudens certo percipit **vocem** conscientiae necnon stimulum vehementissimum **desiderii** felicitatis (cf. Rast, theodicea, pg. 95, n. 175.); **aqtui** incredibile est, talem vocem et tale desiderium in homine normali numquam excitare saltem **aliqualem** cogitationem et cognitionem de aliquo ente, quod nos vocamus Deum, et hoc saltem in aliquo gradu. **Ergo** homo adultus et normalis saltem aliquando excitatur ad cogitandum de Deo, et sic atheismus negativus saltem ad longum tempus redditur impossibilis.

Ad mai. Quod in hac praemissa dicitur, maxime elucet in certis momentis, v. gr. ante et praesertim post gravissimam tentationem, quando sequitur magna pax et tranquilitas cordis respective gravis remorsus, si individuum commiserit peccatum valde grave.

Ad min. In tali casu homo natura duce quodammodo impellitur ad cogitandum de aliquo ente supremo, et praecise propterea argumentum deontologicum et eudaemonologicum non tantum sunt stricte peremptoria, sed etiam valde practica.

Coroll. (ad partem primam thesos)

Alii, uti **Rast** (cf. pg. 96, n. 176.) et **Descoqs** (cf. vol. II. pg. 472-474) etiam afferre solent argumentum ex **providentia** Divina. Rast v. gr. ita ratiocinatur: "Repugnat Divinae providentiae, ut homo per se careat eo, sine quo finem suum ultimum non potest obtinere; atqui homo adultus finem suum adipisci nequit sine notitia Dei; ergo pertinet ad providentiam divinam, ut homo possit hanc notitiam sibi acquirere" (cf. ib. pg.96).

At, licet sit bona confirmatio alio argumento supposito, tamen non videtur esse argumentum stricte philosophicum. Nam contra talem argumentationem semper dici potest, existere multos amentes et semifatuos, qui per totam vitam permaneant athei negativi (quod Rast cum aliis omnino concedit et quod Descoqs expresse et positive probat, cf. vol. II. pg. 474-476); et tamen Deus debet providentia sua providere illorum saluti in altera vita, (saltem naturaliter) uti evidens est.

Forte aliquis **instat,** amentes et semifatuos esse atheos negativos **non** per se, sed tantum per accidens, ideo non esse paritatem. **Resp.** Si homo normalis ideo "**per se**" posset ignorare Dei existentiam (evidenter **sine** culpa, quia hoc in illo argumento supponitur et quia secus iterum esset "per accidens"), tunc Deus **aeque bene** deberet in altera vita illorum saluti **providere.** Ideoque argumentum non stricte probat.

Pars II. Atheismus autem positivus possibilis est, etiam ad longum tempus.

Praenotandum. Iterum inculcandum est, nos quidem loqui de illo triplici gradu atheismi positivi, proinde etiam de atheismo dogmatico, sed **non** in sua forma extrema et maxime rigida. Aliis verbis, iterum insistimus, certitudinem **obiectivam** de non-existentia Dei esse plane impossibilem, utpote absurdam. Sed certitudo mere **sub-**

iectiva non videtur impossibilis, uti statim videbimus ex argumentatione.

Argumentum. Aliqua veritas potest **positive** in dubium vocari, immo positive negari, si non est immediate evidens; **atqui** Deum existere non est immediate evidens; **ergo** potest in dubium vocari, immo positive negari.

Ad mai. Constat ex **Critica.** Nam ubi aliquid nobis non immediate innotescit, ibi incipere potest dubium, saltem imprudens, praesertim, si agitur de veritatibus ipsi naturae inferiori ingratis, et **si affectus pravus,** mala vetuntas, exemplum persersum aliorum hominum, eorum mores depravati et educatio plane irreligiosa influere solent. Porro, si semel incipiunt **dubia,** licet imprudentia, paulatim homo pervenire potest ad Dei existentiam positive negandam. Ergo maior omnino constat, sc. aliquam veritatem tantum mediate notam paulatim in dubium vocari et negari posse.

Ad min. Hoc ita esse, patet ex thesibus praecedentibus.

Confirmatio. "Contra factum non valet argumentum"; **atqui** videtur de facto negari non posse, existere homines, quibus **subiective** persuasum sit, Deum non existere; **ergo** confirmatur pars II.

Ad min. Nihilominus dicendum, illorum numerum non esse tam magnum, uti multi putant. Sic. v. **gr. communistae** et **bolchevistae** minime erunt athei positivi, in quantum **odium habent** contra Deum. Nam, serio negare Deum existere et tamen odium habere contra Deum, videtur esse contradictionem, saltem psychologice.

Pars III. Atheismus positivus saltem in initio non erit possibilis sine culpa

Argumentum...Inclinatio ad Deum nobis est maxime naturalis et maxime secundum rectam rationem, dummodo mentis reflexio modo debito fiat; **atqui** in tali casu homo **non** potest sese **bona** fide convincere de non-existentia Dei, et si forte dubitat, debet **ulterius reflectere** et investigare, secus videtur evidenter peccare **ergo** atheus positivus saltem initio vix erit liber a culpa.

Coroll. 1. In aliqua nota diximus, atheismum negativum per breve tempus esse possibilem in oppositione ad sententiam rigidam, quae ne hoc quidem admittere videtur. Nihilominus illi theologi non sunt adversarii ipsius theseos, cum de hoc nihil explicite dicatur in theore. Immo illi maxime inculcant nostram partem primam.

Coroll. 2. In fine partis secundae diximus, atheos positivos non esse tam numerosos, uti nonulli putant. Proinde **communistae** et **bolchevistae** stricte loquendo non sunt athei positivi, sed potius **inimici** Dei, uti ipsi saepe dicunt. Deinde, praecise quia adhuc admittunt et ex gravissimo remorsu interno quodammodo jam sentiunt Deum utpote facinorum ac scelerum vindicem sempiternum, propterea indignantur contra bonos et justos, qui hac in vita pacem ac tranquillitatem cordis et in altera beatitudinem aeternam consequi valent. Quae **invidia satanica** vix explicari posset, si essent athei sinceri et proinde nullo modo crederent in justorum vitam aeternam. Insuper dicendum, atheismum positivum, praesertim dogmaticum supponere multiplex **ratiocinium**, licet valde erroneum. Homo vulgaris autem non solet multum ratiocinari, saltem non eo modo, uti illi philosophi athei procedere solent. Quod bene notandum est, ne fiat confusio inter atheismum practicum et theoreticum, qui ultimus utique secum ferre solet atheismum practicum.

Schol. Ad thesim nostram confirmandam addere volumus verba ipsius **P. Hontheim:** "Non possunt esse athei positivi,... qui ita judicant Deum non existere, ut nullo pulsentur errandi formidine. Nam argumenta pro existentia Dei tam illustria sunt, ut hominem, qui de Deo cogitat, aliqualiter saltem movere debeant. Fieri plane non potest, ut quis, quando huius mundi fabricam oculis contemplatur et praesertim organismorum mirabilem structuram, piscium in aqua natationem et avium in aere volatum considerat, supremo quodam intellectu haec omnia disposita esse sine mentis haesitatione diffiteatur. Fieri non potest, ut quis boni et mali discrimen deprehendens legislatorem supremum existere sine scrupulo infitietur. Fieri non potest, ut quis, quando justitiam videt oppressam et iniquitatem superbe in terris

regnantem, retributionem justam esse futuram cum firma certitudine neget. Fieri non potest, ut homo desiderio beatitudinis flagrans, quando de morte cogitat, ad spem vitae futurae a Deo sibi paratae non sollicitetur. Deinde generatim falsum judicium et plane deliberatum numquam in mente est sine quadam errandi formidine" (cf. Hontheim, theod., pg. 216-217).

Obi. 1. Secundum Hontheim argumenta pro Dei existentia sunt tam clara, ut non possint in dubium vocari. Ergo secundum Hontheim atheismus positivus videtur impossibilis.

Resp. Dist. assert.: non possunt in dubium vocari **sine** errandi formidine, conc. cum errandi formidine, nego. Et sic confirmatur pars tertia theseos.

Obi. 2. Descoqs tribus argumentis probat, atheismum negativum esse possibilem per totam vitam. Ergo saltem Descoqs non videtur admittere partem primam.

Resp. Jam diximus supra, Descoqs expresse loqui de homine in conditionibus abnormalibus; proinde confirmat nostram sententiam.

Obi. 3. Atheismus negativus est impossibilis in homine normali; atqui tunc idem a fortiori valet de positivo, quia est plus.

Resp. Conc. mai. et nego min. Ad prob.: iterum nego. Nam si quis atheismum negativum admitteret, de facto plus affirmaret. (Cf. conceptus).

Obi. 4. Secundum Missionarios existunt tribus in quibus ne vestigium quidem inveniri potest de Dei cognitione.

Resp. Si hoc verum est, tunc dicendum, tales tribus esse valde degeneratas propter mores maxime depravatos.

Obi. 5. Sed saltem aliquando atheismus positivus videtur inculpabilis, v. gr. si passiones sunt vehementissimae et libertas plane tollitur.

Resp. Negandum est, tale individuum adhuc esse normale, saltem in illo statu. Thesis autem, etiam in parte III.ª loquitur de individuo normali.

PARS III

DE ATTRIBUTIS ESSE DIVINI.

THESIS 14. Deus est ens stricte infinitum et actus purus.

Nexus. Deum existere certo constat ex parte praecedenti. De eius natura eiusque attributis erat quidem quaestio in singulis argumentis, sed magis implicite . In hac parte III.ª erit nunc explicite et expresse sermo de Dei attributis, et quidem de attributis ipsius esse in oppositione ad partem IV., in qua erit agendum de attributis operationis Divinae.

Notiones. A. Infinitum. Potest dupliciter considerari, scilicet, sensu lato et sensu stricto, de quo ultimo erit quaestio in thesi.

I. Infinitum **sensu lato** (quod saepe vocatur infinitum **"mathematicum"**, vel **"indefinitum"**, vel infinitum **"potentia"**) est ens actu finitum, sed tamen potentia infinitum, i. e. est aliqua **entitas** in se **finita,** sed sine fine augeri vel sine fine dividi potest, vel saltem ut sine fine augibilis respective sine fine divisibilis cogitari potest. V. gr. 10: 3 = 3,33333333333..... etc.

II. Infinitum **sensu stricto** (quod saepe vocatur infinitum **"metaphysicum"**, immo, infinitum **"actuale"**) est entitas non jam finita, sed infinita, ideoque nullo modo augeri vel dividi valet, neque ut augibilis respective divisibilis cogitare potest.

Notandum. Infinitum **"actu"** vel **"actuale"** non eo ipso significat aliquam entitatem **physicam,** stricte actualem. Nam, uti statim videbimus, etiam **possibilia** non vocantur, neque vocari possunt infinita "potentia", sed infinita **"actu"**, quia sunt ipsa essentia Divina, licet non

ut talis, sed ut imitabilis ad extra. Ideoque bene notandum, illud" actu" adhuc **non** eo ipso sumi sensu **proprio**, cum secus applicari non posset ad entia possibilia.

Porro, infinitum sensu stricto iterum exprimitur negative et positive;

1) infinitum **negativum**, inquantum est negatio omnis limitationis;

2) infinitum **positivum**, inquantum est affirmatio omnis entitatis, vel breviter **plenitudo realitatis** . Quae iterum sumi potest vel relative vel absolute;

a) infinitum **relativum**, est plenitudo realitatis **metaphysicae** (= **possibilia**);

b) infinitum **absolutum**, est plenitudo realitatis **physicae** (= ipse **Deus**); est proinde infinitum sensu **strictissimo**, de quo erit sermo in thesi.

B. Actus purus.

Plenitudinem realitatis **physicae** esse idem ac plenitudinem **actualitatis** ideoque idem ac **actum purum**, facillime intelligitur, si quis clare cognoscit terminologiam scholasticam. Nihilominus vix superfluum erit, speciatim adhuc explanandi conceptum ipsius **"actus puri"**.

Praenotandum: Omnis activitas est aliqua actualitas, sed non omnis actualitas est eo ipso aliqua activitas. Hoc valere in Deo, est quidem evidens. In creatura autem non sunt conceptus identici. Sic. v. gr. substantia animae est vera actualitas, sed non est activitas, licet sit principium activitatis. In solo Deo est ontologice identitas inter substantiam et eius actionem, vel inter potentiam et actum. Ex dictis patet, conceptum actualitatis esse latiorem conceptu activitatis, cum **omne** ens existens sit aliqua vera **actualitas**, sed non eo ipso aliqua **activitas**. Quare in sequentibus expositionibus nolumus uti nisi terminologia **"actualitatis"**, quamvis aliqui scholastici in nostro casu etiam uti soleant vocabulo "activitatis". Deinde dicendum, nos debere distinguere inter **actualitatem** et correspondentem **passivitatem** et in utraque ulterius distinguendum esse inter **puram et mixtam.**

I. **Actualitas** et quidem 1) **pura** adest, si nulla invenitur passivitas, i. e. si ens nullo modo est, nec esse potest in potentia ad ulteriorem actualitatem acquiren-

dam. Ideo recte vocatur **"plenitiudo actualitatis"** (= Deus), uti vidimus;

2) **mixta** est actualitas admixta passivitate, sc. aliqua entitas positiva, sed in potentia ad ulteriorem actualitatem acquirendam, et in **transitu** de hac potentia in actum partim **active** et partim **passive** sese habet. Quod valet de qualibet creatura inquantum vere agit vel operatur; sic v. gr. anima nostra ita sese habet in suis actibus vitalibus.

II...**Passivitas** et quidem 1) **pura** (= **"obiectiva"**) est nulla actualitas sed pura et nuda passivitas vel potentialitas; est ens in statu merae possibilitatis.

2) **mixta** non est ens mere possibile sed est ens physicum, sed in potentia ad ulteriorem actualitatem accipiendam et in transitu de hac potentia in actum **tantum passive** sese habet; (ideo **non** partim active et partim passive, uti in actualitate mixta); v. gr. marmor relate ad formam statuae accipiendam **mere** passive sese habet; vel peccator paenitens relate ad gratiam sanctificantem iterum recuperandam mere passive sese habet, sc. sub formali ratione infusionis gratiae sanctificantis.

Adversarii. 1) **Pantheistae,** cum falsum conceptum habeant de ente infinito; nam cum Spinoza identificare solent substantiam Divinam cum mundo empirico 2) Alii, uti nonnulli **scholastici,** legitimum conceptum habent de ente infinito, sed putant ,ex sola philosophia hoc probari non posse; ita v. gr. **Occam,** et alii (cf. Eusebius Stateczny, hist. phil., pg. 406-409; — et Stoeckl, Gesch der Phil., pg. 222-225).

Pars I. Deus est ens absolute et stricte infinitum.

Argumentum. Deus est ens a se; **atqui** ens a se est stricte et absolute infinitum; **ergo** Deus est ens infinitum.

Ad min. 1) argumento **cosmologico** scimus, ens a se debere habere et de facto habere sufficientiam adaequatam pro omnibus et singulis entibus "ab alio"; **atqui** hoc esset impossibile, si esset ens finitum; 2) si esset finitum, tunc esset in potentia ad ulteriorem actualita-

tem acquirendam; et in transitu de potentia in actum dependeret ab alio (uti clare elucet ex argumento **cinesiologico**) et sic haberet characterem abaleitatis; **atqui** hoc absolutate repugnat in ente "a se"; ergo nihil remanet, nisi ut sit absolute infinitum.

Pars II. Deus est actus purus.

Argumentum 1. Deus est ens a se; **atqui** ens a se est actus purus; **ergo** Deus est actus purus.

Ad min. Nam 1) si non esset actus purus, sc. si esset actualitas cum admixta passivitate, tunc esset saltem in potentia metaphysica ad ulteriorem actualitatem acquirendam, quod absolute repugnat in ente a se, uti saepe vidimus, quia tunc saltem conditionate dependeret ab alio, sc. inquantum et quando vellet transire de illa potentialitate in actum. 2) Si non esset actus purus, sc. plenitudo actualitatis physicae, tunc certo non esset ratio adaequate sufficiens pro omnibus ceteris entibus; **atqui** est et debet esse ratio adaequate sufficiens pro ceteris, uti tam saepe vidimus in praecedentibus thesibus; ergo, nihil remanet, nisi ut sit actus purus.

Argumentum 2. (Ex infinitate)

Deus est ens stricte et absolute infinitum (cf. P. I.ª); **atqui** ens absolute infinitum est actus purus; **ergo** Deus est actus purus.

Ad min. Infinitum absolutum est **plenitudo** entitatis **physicae,** uti vidimus in statu quaestionis; atqui hoc est idem ac plenitudo actualitatis, i. e. "actus purus"; ergo Deus est actus purus.

Coroll. Diximus in expositione conceptuum, possibilia esse etiam stricte infinita, non quidem infinitate absoluta, sed relativa, i. e. relate ad Dei essentiam. Recte enim dici potest, possibilia esse ipsam essentiam Divinam, non ut talem, sed ut imitabilem ad extra; Deus autem est infinite imitabilis, ergo etiam ipsa imitabilitas, (sc. possibila) debet vocari stricte infinita. Ipsa imitatio autem **actualis** erit terminative semper finita, uti adhuc videbimus. Evidenter non possumus imaginare talem

conceptum, sed aliquo modo illustrare volumus per exemplum: V. gr. si Deus quolibet momento crearet numerum vere astronomicum hominum, et si in sempiternum pergeret in creando semper maiorem et maiorem numerum hominum, nihilominus, **numquam exhauriri** posset eius potentia (utpote infinita) creandi homines, ne initialiter quidem, sed semper et in aeternum maneret et de facto manet eius infinita potentia creandi. Ideoque possibilia recte vocantur stricte infinita, licet tantum infinitate relativa.

Obi. 1. Infinitum est illud, quo nihil maius; atqui Deus cum mundo maior est quam solus Deus; ergo.

Resp. Dist. mai.: quo nihil maius intensive, conc., extensive, nego; contrad. min.

Obi. 2. Si Deus esset ens infinitum, deberet continere perfectiones creaturarum; atque eas non continet, ergo.

Resp. Dist. mai.: deberet continere aequivalenter et eminenter, conc.; per identitatem, nego; contradist. min. etc.

Obi. 3. Saltem perfectiones mixtae Deo non conveniunt, ergo: **Resp.** Dist.: non formaliter, conc.; non saltem virtualiter et eminenter, nego. Ergo.

Obi. 4. Si Deus esset infinitus, omnes creaturae aequaliter ab eo distarent, sc. infinite; atqui hoc repugnat, quia tunc omnes essent inter se aequales. Ergo.

Resp. Dist. mai.: aequaliter distarent ratione finitudinis, conc.; ratione perfectionis intrinsecae, nego; contradist. min. etc.

Obi. 5. Quod ita est haec substantia, ut non sit alia, est finitum secundum substantiam; atqui Deus ita est haec substantia, ut non sit v. gr. substantia hominis; ergo.

Resp. Dist. mai.: ut non sit alia per identitatem, nego; ut non sit alia ne aequivalenter quidem, conc.; contradist. min. etc.; vel retorqueo: Praecise, cum Deus sit ens infinitum, non potest esse ens identicum cum mundo, quod inculcatur contra pantheismum.

Obi. 6. In Deo est unitas, cum sit unicus; atqui unitas est numerus finitus. Ergo Deus est finitus.

Resp. Dist. mai.: ita, ut sit multiplicabilis, nego; secus conc.; contradist. min.

Obi. 7. Infinitum est attributum quantitatis. Ergo. Resp. infinit. mathematicum, conc., metaphysicum, nego.

De Perfectione Dei

Praenotanda: In praecedenti thesi locuti sumus de Dei **infinitate** in qua saltem implicite fuit sermo de summa Dei **perfectione.** Qui conceptus reapse tam facile erui potest ex conceptu infinitatis, ita, ut nonulli auctores utrumque elaborare solent in una eademque thesi. Sic v. gr. **Rast** procedit in sua thesi 15, sc. "Deus est infinitus in perfectione" (cf. theod., pg. 104-111). Similiter procedit **Descoqs** (cf. vol. II., praesertim in pg. 648-670). Et jure merito ita faciunt, cum sint conceptus intime inter se conexi, licet non simpliciter identici, uti aliqui putant. Quia tamen variae quaestiones (uti v. gr. celeberrimum problema de **malo**) intime cohaerent cum thesi de perfectione Divina, huic etiam specialem attentionem et diligentiam praestare volumus.

Quibus praesuppositis debemus in sequentibus agere de triplici quaestione, sc.

1) De **facto** summae Divinae perfectionis, (vel de "plenitudine perfectionis Divinae"), quod demonstrandum erit in **thesi 15.**

2) Deinde erit sermo de **modo,** quo diversae perfectiones Deo et creaturis conveniunt, uti videbimus in **thesi 16.**

3) Finaliter ostendendum erit, **quomodo** cum infinita Dei perfectione conciliari possit **existentia mali,** sive physici, sivi moralis. Quod ultimum ostenditur in **thesi 17.**

THESIS. 15. Deus est plenitudo perfectionis.

Notiones. Quid sit perfectio in genere, quid in specie, scilicet, perfectio mixta et simplex, sive positive sive negative simplex, jam scimus ex argumento **climacologico.** Quia de eisdem conceptibus iterum erit sermo in sequenti thesi, et quidem fusius quam nunc, non erit necessa-

rium repetere illa, quae diximus in argumento climacologico.

Adversarii. 1) Pantheismus evolutionisticus, qui admittit stadia transitoria et necessaria in evolutione ipsius entis absoluti (cf. Rast, pg. 233) ideoque logice negatur infinita Dei perfectio. 2) **Schelling,** cum aliis admittit in Deo duplex principium, sc. lucidum et obscurum, negando proinde iterum plenitudinem perfectionis (cf. Stoeckl, Comp. Hist. Phil., pg. 343-345).

Sensus theseos. Dicitur I. Deum esse plenitudinem perfectionis; debet proinde continere simpliciter **omnes** perfectiones.

II. Sed **quomodo** insunt? Ad hoc fusius respondebitur in sequenti thesi. Nihilominus jam in hac thesi requiritur claritas circa modum, quo perfectiones Deo conveniunt, et dicimus:

1) Perfectiones **simpliciter** simplices (vel positive simplices vel stricte et absolute **infinitas**) Deus continet per absolutam **identitatem;** vel ut scholastici dicunt, per **"arctissimum vinculum aseitatis".**

2) Perfectiones **finitas autem,** i. e. illas, quas modo suo etiam in creaturis invenimus, Deus evidenter non continet per identitatem, sed **"aequivalenter"** et **"eminenter",** scilicet:

a) perfectiones **negative** simplices Deus continet et **virtualiter** et **formaliter** et **eminenter.**

b) perfectiones **mixtas** autem non continet nisi **virtualiter** et **eminenter.**

NOTA. I. Quid significat **"virtualiter", "formaliter" et "eminenter"?** — Resp.

1) **virtualiter** vult dici, Deum habere virtutem, talem perfectionem causandi in creaturis;

2) **formaliter** significat, Deum illas perfectiones habere secundum rationem formalem ipsius conceptus, vel **"modo proprio";** sic v. gr. substantia, quae est perfectio negative simplex, Deo convenit formaliter, i. e. modo proprio;

3) **eminenter** vult dici, Deum illas perfectiones continere modo **illimitato,** modo stricte et **absolute infinito,** ideoque sine ulla admixta imperfectione. Sed statim advertendum est:

II. Si dicimus, Deum habere perfectiones creaturarum modo eminenti, **non** debemus cogitare, esse perfectionem crenatam ini definitum auctam. Est enim perfectio Divina prorsus alterius et superioris ordinis, ita ut numquam attingatur a perfectione creata. (Cf. Rast, pg. 109, n.° 201).

Argumentum 1. (Ex aseitate)

Deus est ens a se; **atqui** ens a se est plenitudo perfectionis; **ergo** Deus est plenitudo perfectionis.

Ad min. Nam, si deesset aliqua perfectio, non posset esse ratio sufficiens et stricte adaequata pro existentia perfectionum mundanarum, quod tamen omnino requiritur, uti invicte constat ex parte II.ª huius tractatus, speciatim ex argumento cosmologico et climacologico. Ideo, ens a se ex suo conceptu debet esse plenitudo perfectionis.

Argumentum 2. (Ex actu puro)

Deus est actus purus; **atqui** actus purus est plenitudo perfectionis; **ergo** Deus est plenitudo perfectionis.

Ad min. Nam, uti S. Thomas inculcat, aliquod est **perfectum,** inquantum est in **actu;** et quo magis in actu, eo perfectius erit ens; atqui actus purus est **maxime** in actu, sc. est **plenitudo actualitatis;** ergo, erit etiam **maxime** perfectus, sc. plenitudo perfectionis.

Coroll. 1. Difficultas principalis, quam adversarii facere solent est haec: Deus cum creaturis est **plus** perfectionis quam sine creaturis. Ergo negandum, Deum esse plenitudinem perfectionis. **Resp.** Dist. assert.: est plus perfectionis **"univocae"** (sc. infinitae), nego; est plus perfectionis **analogae,** (sc. finitae), concedo. Sed statim negandum est, talem augere vel diminuere posse ipsam perfectionem Divinam. Ideo nego consequens, vel dist. cons.: Deus non est plenitudo perfectionis infinitae, nego; non finitae, subdist.: eam non continet per identitatem, conc.; non aequivalenter, nego.

Nota. Distinctio inter perfectionem **"univocam"** et **"analogam"** solvere debet ultimatim fere omnes difficultates, quae oriri possunt in hac quaestione. Quare expositio sequentis theseos erit magni momenti.

Coroll. 2. Ad illustrandam differentiam absolutam inter perfectionem finitam et infinitam recte dicit **Rast:** "potest ens materiale cogitari magis magisque perfectum in indefinitum, numquam evadet spirituale; idem valet de ente finito ad actu infinitum. Ratio est, quia sunt essentialiter diversi ordinis" (cf. Rast, pg. 109, n.° 202).

Ob. 1. Deus non continet individuationes rerum finitarum; ergo, non est plenitudo perfectionis. **Resp.** Dist. assert.: non per identitatem, neque formaliter, con.; non virtualiter et eminenter, nego.

Obi. 2. Deus non continet v. gr. sensationem albedinis; ergo non habet omnem perfectionem.

Resp. Iterum dist. assert.: non formaliter, conc.; non virtualiter et eminenter, nego; pariter dist. cons.

Obi. 3. In Deo sunt contingentia, uti v. gr. eius decreta libera; ergo non est infinite perfectus.

Resp. Dist. assert.: in Deo est perfectio contingens, nego; est in Deo respectus rationis ad terminum finitum, conc.; ideo nego cons.

THESIS 16. Perfectiones negative simplices Deo et creaturis conveniunt per analogiam intrinsecam attributionis.

Nexus. Jam scimus, Deum esse plenitudinem perfectionis, proinde continere omnes perfectiones, dummodo hoc recte interpretetur. Quam interpretationem legitimam in hac thesi dare conamur.

Notiones. Debemus habere conceptum clarum de perfectione necnon de analogia. Quid sit analogia, scimus ex ontologia (cf. Frick, ontol. pg. 24-36). De conceptu perfectionis jam fuit sermo in argumento climacologico et in thesi praecedenti. Cum thesis nostra sit summi momenti non tantum pro theodicea, sed etiam pro certis quaestionibus in theologia dogmatica tractandis, non

erit superfluum, utrumque conceptum hic breviter repetendi.

A. **Perfectio** in genere est id, quo aliquid redditur bonum. Bifarie sumi solet sc. ut perfectio simplex et mixta;

I. **mixta** est illa, quae ex suo conceptu metaphysico necessario involvit imperfectionem, uti v. gr. accidens, abaleitas, animalitas, contingentia, corpus, creatura, compositio, homo, etc.

II. simplex est illa, quae ex suo conceptu non involvit imperfectionem, uti v. gr. substantia, ens, agere, etc. Quae iterum est duplex, scilicet:

1) **negative simplex,** quae ex suo conceptu non involvit imperfectionem, sed eam non absolute excludit, uti intelligere, velle, substantia, suppositum, persona, ens, bonum, verum, etc.

2) **positive simplex** (vel **"simpliciter"** simplex, cf. Descoqs, vol. II. pg. 578, etc.) est illa, quae **positive** et **absolute** vel **simpliciter** et **necessario** et **semper** (sive in abstracto, sive in concreto) omnem et qualemcumque imperfectionem excludit, quod non valet nisi de attributis stricte Divinis, uti v. gr. de aseitate, immensitate, aeternitate, omnipotentia, omniscientia, etc.

B. . . **Analogia** opponitur tum univocitati, tum aequivocitati. Proinde bonum erit, hic breviter exponere omnes illos tres conceptus.

I. **Univocitas** adest, si conceptus communis **utrique** subiecto convenit, et quidem utrique prorsus **eodem** modo; v. gr. animalitas in Petro et in Paulo; vel humanitas in Joanne et in Jacobe, etc.

I. **Aequivocitas** adest, si conceptus communis **non** utrique, sed **uni soli** ex duobus vel pluribus **vere** et **realiter** convenit, alteri autem (vel aliis) non vere et realiter, sed tantum per meram **denominationem;** v. gr. Leo quoad respectivum animal et quoad hominem, qui habet hoc nomen proprium.

III. **Analogia** adest, si conceptus communis **utrique** convenit, et quidem utrique **vere** et **realiter** (quia secus esset tantum aequivocitas) sed tamen **non** eodem prorsus modo. V. gr. animalitas in bruto et in homine, etc.

Porro, haec analogia potest esse vel attributionis vel proportionis et utraque vel intrinseca vel extrinseca;

1) analogia **attributionis** adest, si inter diversa analogata est nexus **causalis** vel dependentiae, et est vel intrinseca vel extrinseca;

a) **intrinseca,** si conceptus communis **utrique** analogato convenit non tantum vere et realiter (cum secus non esset analogia) sed **modo proprio** vel **formaliter;** v. gr. substantia quoad Deum et creaturam, etc.;

b) **extrinseca,** si conceptus communis, licet utrique conveniat vere et realiter, tamen **uni soli** convenit **modo proprio,** alteri tantum modo improprio; v. gr. sanitas quoad corpus et medicinam, etc.;

2) analogia **proportionis** adest, si **nullus** est **nexus** dependentiae inter ipsa analogata, saltem non ex eorum conceptu; iterum bifarie sumi potest, sc. est:

a) **intrinseca,** si conceptus communis **utrique** convenit modo **proprio,** vel formaliter, v. gr. acidens quoad volitionem et quantum extensum, etc.;

b) **extrinseca,** si conceptus communis **uni** tantum convenit modo **proprio;** v. gr. risus quoad hominem et solem, etc.

Adversarii. Sunt **pantheistae,** cum putent, perfectiones creaturarum Deo convenire non per analogiam tantum, sed stricte univoce, immo per identitatem.

Sensus theseos. 1) Non loquimur de perfectione **positive** simplici, cum talis creaturis nullo modo conveniat sed **soli** Deo; 2) non loquimur de perfectione **mixta,** cum talis Deo nullo modo convenire possit, nisi per aliquam analogiam **mere** extrinsecam, uti breviter ostenditur in corollario; 3) loquimur proinde tantum de perfectione **negative** simplici et dicimus, eam Deo et creaturis convenire per analogiam intrinsecam attributionis.

Pars I. Perfectiones negative simplices Deo et creaturis conveniunt per analogiam.

Argumentum. Adest analogia, si conceptus communis utrique subiecto convenit vere et **realiter** sed tamen **non** eodem modo; **atqui** perfectiones negative simplices

Deo et creaturis de facto **realiter** conveniunt, licet non **eodem** modo; **ergo** conveniunt analogice.

Ad min. V. gr. velle, intelligere, esse, substantia, etc. sunt perfectiones negative simplices et ut tales Deo et creaturis vere et realiter convniunt, sed Deo **eminenter** et modo **infinito,** creaturis autem modo **finito** et limitato.

Pars II. Et quidem conveniunt per analogiam intrinsecam.

Argumentum. Adest analogia intrinseca, si terminus vel consecptus communis utrique analogato convenit non tantum vere et realiter (cum secus nequidem esset vera analogia), sed **utrique** modo **proprio** vel formaliter; **atqui** perfectiones negative simplices Deo et creaturis de facto conveniunt modo **proprio** vel formaliter; **ergo** conveniunt per analogiam intrinsecam.

Ad min. Nam v. gr. substantia, ens, etc. **et** de Deo **et** de creaturis modo proprio vel **formaliter** praedicari possunt.

Pars III. Conveniunt per analogiam intrinsecam attributionis.

Argumentum. Adest analogia **attributionis,** si est nexus **causalis** vel dependentiae inter ipsa analogata; **atqui** in nostro casu est nexus dependentiae inter ipsa analogata; **ergo** est analogia attributionis.

Ad min. Nam inter analogata in nostro casu non tantum est dependentia qualiscumque, sed **absoluta** et metaphysica, cum creatura absolute et omnimode a Deo dependeat, uti vidimus in tot argumentis, praesertim in argumento cosmologico.

Coroll. Perpauca dicenda sunt quoad perfectiones **mixtas.** Deo evidenter non conveniunt formaliter, ideoque non potest esse quaestio, nisi de aliqua analogia extrinseca. Quibus suppositis sequitur

Assertum. Perfectiones mixtae Deo et creaturis conveniunt per analogiam mere extrinsecam.

Argumentum. In analogia extrinseca conceptus communis, licet utrique analogato vere et realiter conveniat, nihilominus **uni** tantum modo **proprio** et formaliter; **atqui** ita sese habet in nostro casu; **ergo** adest analogia tantum extrinseca.

Ad min. 1) perfectiones mixtae utrique conveniunt **vere** et realiter; ideoque etiam ipsi Deo; ita v. gr. sentire, etc.; nam, si nullo modo vere et realiter ei convnirent, eas in creaturis causare evidenter non posset, cum **"nemo det, quo in se nullo modo habeat"** ideo etiam ipsi Deo aliquo modo vero et reali convenire debent; sedo 2) Deo **non** conveniunt modo **proprio** vel formali, sed modo valde improprio. Scholastici dicunt, ei convenire non formaliter, sed **"virtualiter"** tantum et eminenter. Quid tandem aliquando sit illud "virtualiter", ultimatim erit mysterium. Proinde **conclusio:** 1) Perfectiones **mixtas** Deo **vere** et realiter convenire, est factum jam **philosophice** certum; sed 2) **modus quo** hoc intelligendum sit (licet sciamus, esse per analogiam extrinsecam), erit finaliter **mysterium.**

Schol. Thesim de analogia esse alicuius momenti non tantum pro philosophia sed etiam pro theologia dogmatica, ex dictis clare elucet. Multiplex controversia (uti v. gr. de relatione inter sacerdotium et statum laicalem) vix oriri potuisset, si omnes semper claram conceptionem haberent de univocitate, aequivocitate et analogia, et quidem de analogia intrinseca et extrinseca.

Porro, theoria de analogia saepissime solvere debet difficultates, quando agitur de attributis Divinis in se et cum respectu ad creaturas.

Obi. 1. In asserto dicitur, perfectiones mixtas Deo vere convenire; atqui hoc sapit materialismum; ergo.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si affirmatur per analogiam intrinsecam, conc.; si tantum per analogiam extrinsecam, nego. Ergo.

Obi. 2. Attribuere perfectiones creaturarum ipsi Deo, semper sapit pantheismum ergo thesis reicienda.

Resp. Dist. assert.: si ei attribuuntur univoce, conc.; si tantum analogice (eo sensu uti in thesi respective in asserto), nego. Ergo.

Obi. 3. Perfectiones creaturarum aut sumuntur in concreto aut in abstracto; atqui in neutro casu Deo conveniunt. Ergo. **Resp.** Conc. mai. **Nego min.**

Probo min.: 1) non in abstracto, cum Deus sit ens maxime concretum; 2) non in concreto, cum quaelibet perfectio creata in concreto sit perfectio mixta. Ergo.

Resp. ad 1. Tamen, id, quod in abstracto consideratur, Deo attribui potest in concreto; **ad 2.** Tamen secundum suam rationem **formalem in se** (et in abstracto) est perfectio simplex, uti v. gr. spiritualitas, substantia, etc.

Obi. 4. Secundum thesim perfectiones negative simplices Deo et creaturis conveniunt modo proprio; atqui hoc est directe contra assertum primum huius tractatus. Ergo thesis reicienda.

Resp. 1) nego, **"notam simplicem"** esse idem ac **"perfectionem simplicem"**; 2) nego, notam Deo **"characteristicam"** esse idem ac convenire modo proprio. Potest enim aliquid alicui convenire modo **proprio** vel formaliter, **quin** sit eius nota propria vel **characteristica.** Sic v. gr. animalitas homini convenit modo proprio et tamen non est eius nota characteristica (vel propria) cum etiam animali bruto modo proprio conveniat.

Obi. 5. Possum bene cognoscere creaturam, quin ipsum Deum cognoscam; ergo non est nexus dependentiae ideoque neque analogia attributionis.

Resp. Conc. anteced. sed nego cons., cum in analogia illa non sit quaestio de mera dependentia logica; sed est sermo de dependentia ontologica inter analogata.

Notandum (ad ipsam thesim): Non debemus confundere modum **improprium** cum modo analogo neque modum **proprium** cum modo univoco. Nam 1) licet modus univocus sit eo ipso modus proprius, tamen modus proprius non eo ipso erit univocus, cum possit esse analogus (sc. intrincese analogus). 2 Modus improprius non est eo ipso analogus, cum possit esse aequivocus; neque modus analogus erit eo ipso improprius, cum bene possit esse proprius, uti modo vidimus.

THESIS 17. Creatura non est causa efficiens, sed causa deficiens mali; Deus autem nec efficiens, neque deficiens, sed tantum causa permittens.

Nexus. Vidimus, Deum, esse plenitudinem perfectionis. Deinde ostendimus, omnes perfectiones creaturarum hoc vel illo modo Deo convenire debere, cum sit radix ontologica omnis perfectionis. Oritur nunc quaestio ardua, quomodo et quo sensu loqui possimus de **causalitate** malorum.

Notiones. 1) Causa **efficiens** est illud ens, quod active et **physice** influit ad effectum producendum;

2) causa **deficiens** est illa, quae de facto non positive et physice influit, sed simpliciter **deficit** a sua bonitate hic et nunc debita. Quod praesertim elucet in ipso peccato, de quo directe et unice erit quaestio in thesi. Peccator enim, peccando deficit a sua bonitate morali; i.e. illo momento, quo non jam resistit tentationi, eo **ipso deficit** (initio aliquo modo saltem et paulatim magis ac magis) **non jam sese conservando in sua bonitate morali hic et nunc debita.**

NOTA: Quamvis agatur de ordine morali, nihilominus erit semper sermo de influxu vere **physico** voluntatis, cum voluntas eiusque volitiones liberae sint verae entitates physicae, uti patet.

3) **Causa permittens** est illa, quae nec efficit, nec eo ipso deficit, sed simpliciter **non** impedit, quamvis hoc omnino posset. **Nota:** Dicitur "nec **eo ipso** deficit". Nam c. permittens potest simul esse c. deficiens, uti in creaturis saepe fit; sed hoc **non** erit "eo ipso", i.e. non ex conceptu causae permittentis, quia secus Deus non posset esse c. permittens relate ad peccatum.

4) **Malum** opponitur bono ideoque definitur ut "carentia vel privatio boni debiti". Potest esse duplex, sc. morale vel physicum;

a) malum **physicum** est privatio boni **physici** hic et nunc debiti; (si infligitur propter malum morale commissum, vocatur poena);

b) malum **morale** (vel malum culpae vel peccatum) est privatio boni **moralis** hic et nunc subiecto **debiti.** V. gr.

exercere virtutem castitatis **virginalis** pro persona in statu matrimoniali vivente **per se** non est praescriptum, ideoque contrarium non esset carentia boni "hic et nunc debiti".

Adversarii. 1) **Manichaei,** qui dicunt, existere duo suprema principia, sc. supremum bonum et supremum malum; ultimum esse causam omnium malorum, praesertim moralium, ita, ut principium bonum ipsa mala impedire non possit. Contra quos dualistas praesertim S. Augustinus arguit. 2) **Pessimistae,** uti Schelling, Fechner et Schopenhauer dicunt, ipsam Dei voluntatem vel aliam Divinae naturae partem esse malam et **imperfectam** et proinde causam (sive efficientem sive deficientem) malorum.

Sensus theseos. 1) Loquimur tantum de malo **morali,** sc. de peccato **stricte** et formaliter sumpto (quamvis thesis videatur legitima etiam relate ad mala psysica dummodo sumantur sub ratione **formali,** i.e. ut **verae** et **merae** privationes perfectionis debitae; nihilominus de malo physico non loquimur, uti modo diximus). 2) Dicimus, creaturam non esse causam efficientem sed tantum deficientem; Deum autem nec efficientem neque deficientem sed tantum **permittentem;** quod ultimum speciatim contra Schopenhauer inculcatur.

Pars I. Creatura non est causa efficiens mali.

Argumentum. Causa efficiens est tantum illud ens, quod active et physice influit ad aliquem effectum producendum; **atqui** creatura neque physice neque active influere potest ad malum ut tale causandum; **ergo** non est causa efficiens mali.

Ad min. Nam malum sub eius ratione formali **non** est entitas positiva, physica, sed est **mera** privatio vel carentia boni debiti; **atqui** talis privatio nec **indiget** tali influxu positivo et physico, neque tali **subici** potest, uti patet; ergo creatura nullo modo active et physice influere valet in malum (peccatum) ut tale causandum, et sic probata est minor.

Pars II. Creatura est tamen causa deficiens peccati.

Argumentum. 1. Illud ens est vera causa deficiens, quod simpliciter **deficit** a sua bonitate vel perfectione hic et nunc debita; **atqui** creatura peccando de facto deficit a sua bonitate debita; **ergo** est causa deficiens peccati.

Ad min. Nam creatura peccando non jam sese sustentat in sua bonitate morali, eo sensu, uti explicavimus in statu quaestionis.

Argumentum 2. Creatura relate ad peccatum commissum una ex parte vocari debet **vera** causa (inquantum **libere** ponit actum physicum, quocum hic et nunc conectitur illa malitia). **Atqui** altera ex parte jam scimus, non posse proprie vocari causam efficientem ipsius mali ut talis; **ergo** nihil remanet, nisi ut sit causa deficiens.

Ad concl. Sed forte vocari debet causa "permittens" tantum? — **Respondendum** est negative. Agitur enim de ipsa malitia ut **tali,** sc. de **formali** privatione bonitatis debitae, quae **malitia** necessario conjungitur cum actu volitivo **libere** posito; ideo est vera **defectio** et non tantum **mera permissio**.

Pars III. Deus non est causa efficiens neque deficiens peccati.

Notandum. Deum non posse esse causam efficientem peccati, clare elucet ex **P. I.ª** huius theseos, cum ne creatura quidem sit eius causa efficiens, proinde a fortiori non Deus. Ideo sufficit hic breviter probare, Deum **non** esse c. **deficientem,** quod urgetur contra pessimistas.

Argumentum. Illud tantum ens vocari potest causa deficiens, quod deficit a sua bonitate sibi debita; **atqui** Deus, utpote ens infinite bonum et summe perfectum nullo modo deficere potest a sua infinita bonitate; **ergo** Deus nequit esse causa deficiens peccati.

Pars IV. Deus autem est causa permittens malum; (contra manichaeos).

Argumentum. Illud ens est causa permittens, quod, neque efficit, neque deficit, sed simpliciter malum non impedit, quamvis hoc omnino posset. **Atqui** Deus malum ut tale neque efficit, neque a bonitaate deficit, sed malum simpliciter permittit **ergo** Deus recte vocatur causa permittens malum.

Caroll. 1. Assertum. Tamen Deus vocari debet vera causa efficiens et non tantum permittens relate ad ipsum actum physicum, quocum malitia conectitur.

Adversarii. Aliqui scholastici videntur aliter cogitare. Ita v. gr. **Hontheim** dicit: "Deus enim ipsum actum **physicum** peccati... **tantum permittit** concursu suo indifferenter oblato" (cf. theod., pg. 190). At dicendum, ad ipsum actum physicum **non** sufficere concursum oblatum, sed creaturam insuper indigere concursu Dei **collato,** aeque bene, uti in quolibet alio actu, sicut videbimus in thesi de concursu Divino. Nunc ad probationem asserti:

Argumentum. 1. Ipsa entitas physica volitionis peccaminosae est evidenter vera entitas positiva, sicut quaelibet alia; **atqui** circa qualemcumque entitatem positivam Deus dicendus est causa efficiens, et quidem suprema et **absolute primaria; ergo** idem dicendum in nostro casu!

Argumentum. 2. (Idem aliter) Deus ad omnes actus creaturarum positive et immediate concurrere debet, secus actio esset impossibilis (cf. thesis de concursu); **atqui** entitas physica, quacum malitia conjungitur, est verus actus creaturae; **ergo** Deus ad illum concurrere debet, ideoque est eius vera c. efficiens.

Coroll. 2. Deum nullo modo esse causam ipsius **peccati** ut **talis,** uti probavimus in thesi, confirmatur per auctoritatem **S. Thomae,** qui ita dicit: "Deus est ultor peccati. Ergo non est auctor peccati" (cf. Quaest. Disput. vol. I. De malo, pg. 605). — "Ipse autem est summum bonum. Unde non potest esse causa aversionis voluntatis a summo bono, in quo ratio culpae consistit, prout nunc

loquimur de culpa. Impossibile est ergo quod Deus sit causa peccati" (ib. pg. 606).

In sequenti articulo Sanctus Doctor sibi interrogat: **"Utrum actio peccati sit a Deo".** Obiectionibus variis solutis, respondet secundum nostrum assertum: "Sed actus peccati est quidem motus liberi arbitrii. Ergo est a Deo" (cf. ib. pg. 609). — Postea idem adhuc clarius affirmat: "id, quod est ibi (sc. in peccato) de actione, reducetur in Deum sicut in causam: quod autem est ibi de inordinatione vel deformitate, non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium. Et propter hoc dicitur, **quod actio peccati est a Deo,** sed peccatum non est a Deo" (cf. ib. pg. 610).

Schol. 1. Cur Deus peccatum **non impedit,** sed positive **permittit?** — Multi scholastici, respondendo ad hanc difficultatem, dicunt, Deum peccatum non impedire, cum velit respectare **libertatem** creaturae. At dicendum:

1) Nego suppositum, sc. **"posse-peccare "** esse de **essentia** libertatis. Est potius eius defectus. Christus Dominus jam hac in vita fuit absolute **impeccabilis,** et tamen **liberrimus.**

2) **Etiamsi "posse-peccare"** pertineret ad essentiam libertatis (quod tamen absolute negandum), Deus tamen **omne** peccatum impedire posset, **quin** destrueret illam libertatem. V. gr. **Beatissima Virgo Maria per se** (i.e. attendendo ad suam naturam creatam ut talem) potuisset peccare; nihilominus Deus in ea omne peccatum absolute impedivit, ita, ut nullum commiserit peccatum, ne vestigium quidem ,uti clarissime constat ex theologia dogmatica. Immo, attendendo ad suam propriam dignitatem et ad dignitatem eius excelsae Matris, Deus **debuit** impedire omnem maculam in anima Beatissimae Virginis, secundum verba Summi Pontificis **Pii IX,** sc.: "Prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis numquam caruerit" (Pius IX, "Ineffabilis"; cf. Mors, Instit. Theol. vol. II. pg. 232 n.° 359).

Insto: Si Deus **salva** nostra libertate impedire posset omne peccatum, cur tunc non impedit? — **Resp.** 1) quia suprema norma eius actionis **non** est bonum creaturae, sed eius propria **Gloria;** 2) quia de facto dirigere potest ma-

lum ad finem bonum, etiam quoad creaturam. Quo sensu valet: "Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum" (immo, et peccata, uti addit S. Augustinus).

Insto: Deus saltem aeque bene glorificaretur, si peccatum prorsus impediret. Immo, peccata simpliciter impedire videtur magis glorificare Deum, quam prius malum permittere et postea dirigere ad bonum finem? — **Resp.** Aliunde clare scimus, Deum liberrimo modo agere ad extra; ideo non obligatur, ad bonum melius eligendum. Potest omnino positive velle minus bonum, dummodo sit bonum verum. **Atqui** positive **permittere peccatum** et postea illud dirigere ad finem bonum, est procul dubio bonum verum. Quare dicendum est: **"Ita voluit, quia sic ei placuit."**

Possunt quidem afferri rationes plus minusve convenientes ex eius attributis, uti ex eius misericordia, etc.; sed non sunt rationes stringentes. **Finaliter incipit mysterium.** Ideo valent hic verba **S. Petri Apostoli:** "Humiliamini sub potenti manu Dei!" (1. Petr. V. 6.), vel verba **S. Pauli:** "O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia eius et investigabiles viae eius!" (Rom. XI, 33).—

Schol. 2. Differentia inter **Deum** et **hominem,** quando hic permittit peccatum aliorum, quamvis posset et deberet impedire, quod valet v. gr. de parentibus relate ad filios: 1) Deus est **tantum** causa permittens, creatura autem in tali casu **et** c. permittens **et** c. deficiens; 2) Deus permittit, immediate cooperando cum ipso acto physico (uti vidimus), creatura autem **non** cooperatur physice in casu supposito, secus esset **plus** quam c. permittens, sc. secus physice influeret in ipsum actum alterius, licet indirecte tantum, et sic culpa adhuc augeretur.

Schol. 3. Sicut jam in ontologia, ita in nostra thesi maxime insistitur, omne malum ut tale, proinde etiam peccatum formaliter sumptum non esse entitatem positivam, sed esse **privationem** bonitatis debitae. Nihilominus sunt aliqui, qui putant circa peccatum **commissionis dubium** haberi posse, in quonam ibi privatio consistat, cum illud peccatum sit aliqua transgressio legis obligantis ideoque actus positivus. At dicendum, **nullam** pror-

sus esse difficultatem. Nam, licet ipsa entitas **physica** ipsius actus voluntatis sit quid **positivum** (quod aeque bene valet in peccato omissionis, de quo nullum sentiunt dubium), tamen ipsa **malitia moralis** i. e. illud **"deficere a sua bonitate debita"** est quid plane **privativum** et aeque bene invenitur in peccato commissionis, sicut in peccato omissionis.

Proinde etiam falsum esset, si quis diceret, **rationem stricte** proximam peccati posse esse aliquid positivum. Nam, **unica** ratio **intrinseca** et **proxima** est ipsa creaturae **"defectibilitas"** et quidem in nostro casu, moralis, quae evidenter non est quid positivum.

Quare **unica** differentia inter peccatum commissionis et omissionis ut talis est ipse actus **externus** et a voluntate **imperatus,** qui in **primo** casu **adest,** in secundo autem **non** adest, sc. omittitur; ideo nomen (pecc. "omissionis"). Ad quod illustrandum serviatur brevis conspectus:

1) **malitia** (= **defectio** a bonitate morali)

2) **actus voluntatis elicitus,** sc. entitas **positiva** (**velle** occidere; **velle** non orare)

3) **actus externus imperatus;** (sc. "occidere");

Quoad primum et secundum punctum **nulla** est differentia inter peccatum commissionis et omissionis, uti elucet ex conspectu. Unica differentia apparet in **tertio** puncto, ubi actus externus imperatus prorsus deest (omittitur) in peccato omissionis.

Obi. 1. Sed actus **odii** est quid positivum? — **Resp.** Dist.: ipsa entitas physica actus volitivi ut talis, conc.; ipsa malitia, sc. **"illud deficere a bonitate debita"** (in nostro casu = "deficere ab amore debito"), nego.

Obi. 2. Si creatura **non** positive influit in actum malum **qua** malum, quo jure vocari potest **"causa** mali"? — **Resp.** Tamen directe et physice influit in ipsum actum positivum, quocum hic et nunc infallibiliter jungitur malitia, sc. illud **"deficere"** a bonitate; ideo recte vocatur **"causa",** quia et inquantum causat illum actum physicum; et vocatur c. **"deficiens",** quia eo ipso, quo illum actum ponit, a sua bonitate **deficit**.

Obi. 3. Si pater familias non potest permittere peccatum in filio, tunc idem a fortiori dicendum de Deo relate ad homines?

Resp. Nego conseq. quia nego paritatem. Nam suprema norma patris est **"oboedire"** Deo (et sic glorificare Deum); suprema norma pro Deo erit semper sua propria gloria, uti aliunde constat.

Obi. 4. Si Deus impedit peccata per auxilia specialia, tunc libertas ruit? — **Resp.** Nullo modo! Gratia enim non impedit veram libertatem, sed eam potius auget, sc. efficit, ut homo **expedite** et cum alacritate eligat bonum, vitando malum.

Obi. 5. Si Deus physice concurrit cum actu physico voluntatis, quocum hic et nunc conectitur malitia, tunc videtur etiam esse c. "deficiens".

Resp. Nullo modo; quia tota defectio a bonitate provenit unice a creatura.

THESIS 18. Deus est absolute simplex sine ulla compositione sive physica sive metaphysica.

Nexus. Ex Dei infinita perfectione logice sequitur eius absoluta simplicitas, uti statim ex argumentatione explicite videbimus.

Notiones. A. **Compositio** est unio partium, et opponitur simplicitati; potest esse vel physica vel metphysica.

I. Compositio **physica** si partes sunt physicae, v. gr. corpus et anima in homine quae compositio physica potest esse vel substantialis, vel accidentalis;

1) **substantialis** adest, si partes sunt substantiae, uti v. gr. corpus et anima. Compositio substantialis est vel essentialis vel integralis;

a) **essentialis,** si partes sunt essentiales, sc. si constituunt ipsam rei essentiam. (Sunt proinde semper **diversae** naturae vel perfectionis naturalis, sive inter se, sive relatum ad totum, uti v. gr. corpus et anima in homine);

b) **integralis,** si partes sunt integrales, i. e. **non** constituunt ipsam naturam ut talem, sed tantum ut **integralem;** (ideo nomen); sunt semper **eiusdem** naturae et perfectionis sive inter se, sive relate ad ipsum totum. Ita v. gr. partes integrales corporis (sive mortui sive vivi) uti caput, manus, pedes, etc. sunt eiusdem perfectionis specificae (licet forte perfectio accidentalis sit diversa);

2) **accidentalis** adest, si partes sunt tantum accidentales, uti v. gr. intellectio, volitio, sensatio, vegetatio, etc. Quo sensu etiam anima humana est composita, sc. "accidentaliter", i. e. ex actibus, quamvis sit substantialiter simplex.

II. Compositio **metaphysica** adest, si partes sunt "metaphysicae", uti v. gr. genus et differentia specifica, uti in homine animalitas et rationalitas. **Nota:** Nihilominus **"metaphysicum"** hic non erit confundendum cum **"possibili".** Nam, etiam in ente actu existenti possumus evidenter distinguere inter partes metaphysicas. Compositio opponitur simplicitati.

B. **Simplicitas** est negatio compositionis. Quae iterum potest esse vel positiva vel negativa.

1) Simplicitas **negativa** adest, si omnes notae positivae alicuius rei omittuntur una sola retenta; (= ultimus terminus abstractionis) uti ens ut sic.

2) Simplicitas **positiva** adest, si multae notae (evidenter positivae) in eodem subiecto uniuntur, immo et identificantur. Sic **Deus** est absolute simplex, et quidem simplicitate positiva, cum omnes et infinitae Dei perfectiones in eo uniantur per **arctissimum vinculum aseitatis** (cf. Hontheim, theod. pg. 164).

Adversarii. 1) **Anaximenes,** qui proponit aerem ut supremum et ultimum omnium rerum principium (cf. Stoeckl, Gesch. d. Phil. pg. 23-24). 2) **Stoici** antiqui, qui fere eodem modo loquuntur de Deo (cf. Stoeckl, pg. 80-81). 3) Inter scholasticos **Gilbertus Porretanus,** qui docet realem distinctionem inter essentiam et subsistentiam in Deo (cf. ib. pg. 179). 4) Finaliter **pantheistae** reales, pro quibus entia mundana non sunt nisi modi vel accidentia ipsius entis absoluti; ita praesertim **Spinoza** (cf. ib. pg. 276-279).

Sensus theseos. In Deo nulla est partialitas ideoque nulla compositio, neque physica neque metaphysica, neque substantialis neque accidentalis (quod ultimum praesertim contra Spinoza dirigitur); ideo Deus est ens absolute, perfectissime simplex.

Argumentum 1. (Ex aseitate)
Deus est ens a se; **atqui** ens a se est absolute simplex; **ergo** Deus est absolute simplex.

Ad min. Si Deus esset compositus, haberet partes, quae inter se dependerent; nam partes alicuius compositi necessario ordinantur inter se et ad ipsum totum; atqui in ente a se nulla adesse potest dependentia, quia secus esset abaleitas. Ergo ens a se est absolute simplex.

Argumentum 2. (Ex actu puro)
Deus est actus purus; **atqui** actus purus est simplex; **ergo** Deus est simplex.

Ad min. Nam in quolibet ente composito una pars relate ad aliam **passive** sese habet, uti v. gr. corpus relate ad animam; voluntas relate ad intellectum et viceversa; atqui in actu puro nulla datur passivitas, ideo nulla partialitas, ideo nulla compositio; ergo actus purus est absolute simplex.

Argumentum 3. (Ex infinita Dei perfectione)
Deus est ens perfectissimum; **atqui** ens perfectissimum est simplex; **ergo** Deus est simplex.

Ad min. Nam 1) Est adagium philosophicum "pars est imperfectior ipso toto"; atqui in Deo utpote ente perfectissimo nulla datur graduatio perfectionis, ideo nulla partialitas et proinde nulla compositio; 2) partialitas et consequenter compositio est perfectio **mixta;** atqui perf. mixta formaliter excluditur in ente perfectissimo; ergo tale ens non potest esse compositum, sed simplex. 3) Deinde, ens, compositum ex proprietatibus quantumvis perfectis, eas numquam tam perfecte possideret, uti ens, quod illas habet per absolutam **identitatem,** et quod proinde sit absolute simplex. Ergo ens perfectissimum est absolute simplex.

Coroll. 1. Debemus **bene** distinguere inter **compositionem** et **distinctionem.** Omnis compositio ex suo conceptu involvit distinctionem, sed non omnis distinctio eo ipso significat compositionem. V. gr. ex fide supernaturali scimus, in Deo esse **distinctionem realem physicam** inter tres personas Divinas, sed nullam esse compositionem, neque physicam neque metaphysicam, quod modo jam philosophice probavimus. Ergo distinctio non eo ipso erit compositio, saltem **non** ex suo conceptu **metaphysico,** quia secus etiam in Deo ita esset, quod tamen non valet, uti vidimus. Ideo definitio "compositio est unio distinctorum", est evidenter non definitio metaphysica. Quare definitio stricte philosophica ita sonat: **"Compositio est unio partium",** uti vidimus in statu quaestionis.

Posset aliquis dicere, saltem in **creaturis** esse identitatem inter compositionem et distinctionem. Ideo, ubi distinctio, ibi eo ipso erit etiam compositio; — At respondendum erit **negative.** Nam optime inculcat **Froebes,** animam **non** esse compositam ex suis potentiis, sc. **intellectum** esse ipsam **substantiam** animae; idem dicendum relate ad voluntatem. Ideo non potest affirmari, animam esse compositam ex suis facultatibus vel potentiis, secus esset **substantialiter** composita, quod esset contra eius simplicitatem essentialem. Nihilominus debeo dicere, esse veram distinctionem realem inter intellectum et voluntatem, uti patet. Ergo concludendum, etiam in creaturis, saltem in nostro casu, **non** esse **eo ipso** identitatem inter compositionem et distinctionem. (cf. v. gr. Froebes, Cursus brevior psych. specul. pg. 361-362).

Coroll. 2. Ex dictis patet, **nullam** esse in Deo compositionem, sed neque distinctionem **realem** inter **ipsa attributa** (quamvis sit distinctio realis inter ipsas personas, de quibus quidem in philosophia nihil scimus). Ideo attributa Divina sunt realiter identica. Nihilominus Deus ut misericors erga peccatorem paenitentem et ut iratus contra peccatorem impaenitentem **non** sunt **merae** denominationes extrinsecae, sed sunt verae vitalitates Divinae. Ideo v. gr. misericordia et justitia et ira etc., quamvis sint attributa **identica** cum **essentia** Divina, tamen **pro nobis non sunt synonyma;**

Sed quomodo tale quid explicandum? **Resp.** Explicari potest et debet unice per infinitam Dei perfectionem, sc.: Deus utpote **infinite** perfectus praestare potest effectus **diversissimos** et quidem **unico simplicissimo actu,** quod utique, in creaturis fieri nequit, nisi actibus et natura et tempore diversis et modo omnino imperfecto. **Nota.** Aliqua analogia, licet imperfecta, habetur in **anima** nostra, uti ex parte jam vidimus. Nam secundum Froebes **tota** anima, vel potius ipsa **substantia** animae est **intellectiva,** et ipsa substantia est **tota volitiva;** tamen voluntas et intellectus certo non sunt synonyma. Proinde habetur hic aliqua similitudo cum Deo. Altera ex parte est magna differentia, cum simplicitas Dei sit omnimode absoluta et infinita, simplicitas animae autem limitata et finita.

Schol. Quamvis non sit distinctio realis inter attributa, tamen erit distinctio rationis cum fundamento. Quod fundamentum est duplex, sc. 1) **infinita** Dei **perfectio,** quae uno eodemque actu diversissima causare potest, uti modo vidimus; 2) altera ex parte nostra **maxima imperfectio,** quae licet vere cognoscere valeat Deum eiusque attributa, tamen ea cognoscere **nequit ita,** uti sunt **in Deo,** sed tantum ita, uti manifestantur **ad extra,** i. e. in mundo visibili. Ideo cognitio nostra de Deo manet semper analoga.

Obi. 1. Possumus bene cogitare ens infinite perfectum quod omnes illas perfectiones continet per compositionem?

Resp. Hoc absolute repugnat. Nam 1) semper esset in potentia, saltem metaphysica, ad illas perfectiones perdendas, et sic jam non esset infinite perfectum; 2) Possidere varias perfectiones modo simplici, eo ipso est perfectius, quam possidere modo composito.

Obi. 2. Ens simplicissimum est comprehensive minimum et extensive maximum; atq. Deus est ens comprehensive maximum et extensive minimum; ergo non est simplicissimum.

Resp. Dist. mai.: valet de simplicitate negativa, conc.; de positiva, nego; conc. min. et dist. cons.: non

est simplicissimum simplicitate negativa, conc.; non simplicitate positiva, nego.

Obi. 3. Melior et perfectior est compositio quam simplicitas. Ergo. **Resp.** Dist.: melior quam simplicitas negativa, conc.; melior quam positiva, nego.

Obi. 4. Deus qua justus punit et qua misericors remittit peccata; atqui justitia non est idem ac misericordia; ergo compositio in Deo.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: non est eadem infinita essentia Divina, nego; non est idem secundum nostros conceptus analogos, conc.; ideo nego cons.

Insto. Tunc nostra cognitio de Deo est falsa? — **Resp.** Dist.: si quis suos conceptus Deo attribuere vellet modo univoco, conc.; si tantum analogice, nego.

Obi. 5. Ex fide scimus, in Deo esse 3 personas realiter distinctas; ergo saltem esse subsistens in Deo est compositum.

Resp. Conc. antec. et nego cons., cum distinctio et compositio non sit eo ipso idem, uti vidimus.

THESIS 19. Est distinctio logica tum inter essentiam Divinam et attributa tum inter attributa ipsa.

Nexus. Ex thesi praecedenti constat, Deum esse absolute simplicem; altera ex parte esset falsum, affirmare aliquam distinctionem pure mentalem inter attributa. Quod probare debemus in hac thesi.

Notiones. 1) **Essentia Divina** est ipsa **"aseitas"** vel **"actus purus"** vel **"ipsum esse subsistens"**, uti alii dicunt.

2) **Attributa Divina** sunt perfectiones, quae a nobis **concipiuntur** "ut ad essentiam Divinam **superadditae"** (cf. Rast, pg. 117 n. 217.) Ideo nomen "attributum", quod proinde est aliquid Dei, **non uti est in se**, sed uti a nostro intellectu concipitur; ideo **"est perfectio Dei a nobis intellecta"** (cf. Rast, ib.). Attributa sunt vel absoluta vel relativa;

a) **absoluta** sunt perfectiones, quae conveniunt Deo **absolute** spectato, uti v. gr. infinitas, veritas subsistens, etc.

b) **relativa** sunt illa, quae conotant aliquam relationem **logicam** ad extra, vel aliquem respectum rationis ad extra, uti v. gr. scientia et volitio Dei relate ad hominem, qui modo peccat, modo paenitentiam agit, etc.; auctores iterum subdividere solent attributa relativa, quae quidem divisio nullius est momenti pro nostra thesi.

Adversarii. Sunt omnes illi, qui tantum distinctionem **pure mentalem** admittunt inter attributa Divina, pro quibus diversa attributa, uti justitia, misericordia, etc. sunt tantum **synonyma**; ita v. gr. **Moses Maimonides, Nominales,** etc.

Sensus theseos. 1) Iterum energice excludimus in Deo omnem compositionem realem, sive physicam, sive metaphysicam, uti vidimus in praecedenti thesi. 2) Sed affirmamus **distinctionem logicam** inter essentiam Divinam et attributa et inter ipsa attributa. Aliis verbis: Non possumus unum attributum perfecte concipere, essentia vel aliis attributis non conceptis. **Fundamentum** pro tali distinctione est (uti jam vidimus in alia thesi) **infinita** Dei perfectio, quae uno simplicissimo actu aeterno diversa praestare valet, altera ex parte, nostra cognitio, licet vera, tamen **valde** imperfecta. Ideo est distinctio **non** pure logica, uti falso putant nominales. 3) Loquimur de attributis **et** absolutis **et** relativis.

Argumentum. Distinctio logica cum fundamento adest inter illa, quae ontologice quidem identificantur, logice autem, i. e. **secundum nostrum** modum concipiendi dicunt aliud et aliud. **Atqui** hoc valet de essentia et attributis Divinis. **Ergo** dicendum, adesse distinctionem logicam cum fundamento.

Ad min. Nam una ex parte ex praecedentibus clare scimus, omnia in Deo absolute identificari debere "per arctissimum vinculum aseitatis"; altera ex parte constat, essentiam et attributa Divina secundum modum repraesentationis aliud et aliud dicere; uti v. gr. valet de misericordia, justitia, etc.

Coroll. Ex argumento allato adhuc clarius elucet, distinctionem nostram habere duplex fundamentum, sc. proximum et remotum: 1) fundamentum **proximum** est intellectus noster, qui conceptus suos ideoque etiam Dei notionem **haurire** debet ex creaturis; 2) fundamentum **remotum** una ex parte est infinita Dei perfectio et absoluta simplicitas, altera ex parte sunt ipsae creaturae, quae Deum repraesentare vel manifestare nequeunt, nisi valde imperfecte et divisim.

Obi. 1. Si nulla est compositio in Deo, tunc nihilominus sequitur nominalismus.

Resp. Dist.: si pro illa distinctione logica nullum esset fundamentum, conc., secus prorsus nego.

Obi. 2. Tunc erit saltem compositio logica? — **Resp.** Sunt, qui de facto uti solent tali terminologia (cf. **Rast,** pg. 118, n. 218.). Sed forte melius erit tantum loqui de distinctione cum fundamento. Quod prorsus sufficit contra nominalismum.

THESIS 20. Deus est physice et moraliter absolute immutabilis.

Nexus. Immutabilitas Dei luculenter continetur in thesibus praecedentibus. Cum tamen sit problema magni momenti, explicite tractari debet.

Notiones. Omnis **mutatio** (uti jam vidimus in argumento cinesiologico) est transitus rei de uno statu ad alium, vel rei transitus de potentia in actum, vel etiam de actu ad statum pure potentialem, quod ultimum valet v. gr. in annihilatione. Multiplex datur mutatio respective mutabilitas, sc.:

A. **mutatio moralis;** est transitus de uno statu **morali** ad alium, vel transitus de uno statu volitivo ad alium, dummodo adsit respectus ad moralitatem obiecti respective ipsius actus volitivi. V. gr. si quis facit opus moraliter bonum vel malum, tunc anima eo ipso intrinsece et moraliter, licet accidentaliter tantum, mutatur. Sic justus et peccator moraliter mutari possunt;

B. **mutatio physica**; est rei transitus de uno statu **physico** in alium, vel rei transitus de potentia in actum vel vice-versa in ordine **physico**. V. gr. motus localis, intellectio, sensatio, etc. — Porro, mutatio physica potest esse vel extrinseca, vel intrinseca;

I. **extrinseca** adest, si res tantum extrinsece mutatur; (quae **semper** est accidentalis et propria). V. gr. motus localis ut talis etc.

II. **intrinseca** adest, si res intrinsece mutatur, uti v. gr. intellectio, etc. Quae mutatio intrinseca iterum est aut propria aut impropria;

1) **impropria**, si **unus** tantum terminus est realitas physica, sive t. **ad quem**, (uti in creatione) sive t. **a quo** (uti in annihilatione);

2) **propria**, si **uterque** terminus est realitas physica; v. gr. si aqua mutatur in vinum; vel si homo fit aegrotus, etc. Quae mutatio physica intrinseca et propria iterum est aut substantialis aut accidentalis;

a) **substantialis** adest, si res substantialiter mutatur, vel si ipsa rei essentia mutatur, quod fit v. gr. in corruptione viventium, etc.

b) **accidentalis** adest, si res, licet vere intrinsece, tamen accidentaliter tantum modificatur. V. gr. anima in suis actibus vitalibus jugiter modificatur, sed accidentaliter tantum.

Adversarii. Sunt iterum praesertim **pantheistae**, speciatim evolutionistae. Jam **Heraclitum** fuisse adversarium theseos elucet ex eius sententia **"pánta rei"**; quod adagium ad ipsum supremum ens ("lógos") applicare vult (cf. Stoeckl. pg. 29-30).

Sensus theseos. Affirmamus, **nullam** esse in Deo mutationem neque mutabilitatem, neque moralem neque physicam, non extrinsecam (sensu **stricto** sumptam) et a fortiori non intrinsecam, et quidem neque substantialem, neque accidentalem. **Nota:** Cum mutatio **extrinseca stricte** sumpta sit idem ac mutatio **"ubicativa"** (= motus localis) et **"quandocativa"** (= tempus), tunc evidens est, ne talem quidem in Deo affirmari posse, uti modo diximus. Etiam mutationem **"impropriam"** (cf. status quaestionis) esse impossibilem in Deo, non indiget probatione.

Pars I. Deus est physice absolute immutabilis.

Argumentum 1. (Ex aseitate)
Deus est ens a se; **atqui** ens a se est physice immutabile; **ergo Deus** est physice immutabilis.
Ad min. Nam, uti saepe vidimus, ens a se existit vi suae esssentiae, proinde a nullo alio dependet; neque ab alio dependere potest. Atqui in tali ente repugnat quaelibet mutatio immo et mutabilitas, cum talis eo ipso involvit **impulsum physicum** (sive actu sive saltem exigitive) **ab alio,** uti expresse vidimus in argumento cinesiologico. Ergo ens a se est de facto physice immutabile.

Argumentum 2. (Ex actu puro)
Deus est actus purus; **atqui** actus purus est physice immutabilis; **ergo** etc.
Ad min. Nam omnis mutatio est transitus de potentia in actum, ideoque involvit aliquam potentialitatem passivam; atqui in actu puro nulla datur passivitas, ergo nulla mutatio neque mutabilitas physica.

Pars II. Deus est etiam moraliter immutabilis.

Argumentum 1. (Ex infinita perfectione)
Deus est infinite perfectus; **atqui** ens infinite perfectum est etiam moraliter immutabile; **ergo** Deus est moraliter immutabilis.
Ad min. Nam 1) aut esset mutatio in melius aut in peius; atqui utraque mutatio evidenter absolute repugnat in ente perfectissimo; ergo; 2) si esset mutatio moralis, tunc aut, quia nesciret omnia, aut quia esset inconstantia in voluntate; atqui iterum utrumque prorsus repugnat in ente perfectissimo, ergo; 3) vel simul absolute decretaret tale vel tale futurum esse, et simul contrarium decretaret; atqui hoc esset aperta contradictio et iterum pugnaret contra infinitam perfectionem. Ergo.

Argumentum 2. (Ex immutabilitate physica)
Omnis mutatio physica in Deo repugnat (uti modo probatum est); **atqui** omnis mutatio moralis eo ipso involvit mutationem physicam; **ergo** etiam mutatio (et mutabilitas) moralis absolute repugnat in Deo.

Ad min. Nam 1) Omnis mutatio est **transitus** de potentia in actum (vel vice-versa) qui transitus evidenter est quid **physicum,** licet accidentale tantum. Atqui illa definitio est stricte metaphysica et proinde valet pro qualibet mutatione, etiam pro mutatione **morali;** ergo omnis matutio moralis eo ipso involvit mutationem physicam. 2) Omnis actus moralis nihil est nisi actus **liber volitivus** cum respectu ad honestatem; atqui tunc ipse actus moralis mutari nequit, **quin eo** ipso fiat mutatio in ipso actu **libero volitivo,** quae mutatio evidenter erit physica (cum volitio ut talis sit entitas physica); ergo omnis mutatio moralis eo ipso involvit mutationem physicam.

Coroll. 1. Ex dictis patet, utramque immutabilitatem Dei, sc. physicam et moralem, per se in uno argumento probari posse. Nihilominus fecimus duas partes, cum nonnulli scholastici putent, mutationem moralem non necessario involvere mutationem physicam. Aut non attendere videntur ad conceptum metaphysicum mutationis ut talis, aut non stricte sumunt conceptum moralitatis ut talis.

Ita v. gr. **Rast** dicit: Mutatio moralis, saltem in Deo, non immediate inferret mutationem physicam, cum tota mutatio videatur esse ex parte termini" (cf. Rast, pg. 126 n.° 231). At contra hoc dicendum:

1) Nihil mirum, cum talis mutatio moralis "ex parte termini" tantum, de facto nulla sit vera mutatio in Deo, ne moralis quidem (consequenter neque physica). .

Sed hoc praecise probandum est in thesi.

2) Sed illi scholastici (de quibus supra locuti sumus) praecise putant, posse per se existere veram mutationem moralem in ipso Deo, quin esset eo ipso mutatio vere physica. Hoc tamen esse impossibile, probavimus in argumento .

Coroll. 2. Ex dictis etiam patet, mutationem ne extrinsecam quidem admitti posse in Deo, cum etiam talis in Deo involveret transitum de potentia in actum, sc. relate ad diversas ubicationes et quandocationes, uti breviter jam notatum est. Ad summum possumus concedere aliquam mutationem externam sensu **latissimo,** sc. aliquam

denominationem extrinsecam, sc. ex parte termini creati, qualis de facto nullum in Deo involvit transitum, neque ubicativum, neque quandocativum.

Obi. 1. Mutatio est relatio; atqui in Deo est relatio; ergo et mutatio. **Resp.** Dist. mai.: omnis mutatio est relatio, conc.; omnis relatio est mutatio, nego; conc. min. et nego cons.

Obi.2. In Deo est actio; atqui actio est mutatio; ergo. **Resp.** conc. mai. Dist. min: in creaturis, conc.; in Deo, nego. Ideo nego cons.

Obi. 3. Deus creat; atqui creare involvit mutationem; ergo. **Resp.** Conc. mai. Dist. min.: entitative in Deo, nego; terminative, sc. in creatura (quae transit de potentia pura in actum), conc. Ergo.

Obi. 4. Deus est vita; atqui vita sese evolvit; ergo Deus sese evolvit. **Resp.** Dist. mai.: est vita subsistens, conc.; ita, ut in creaturis, nego; contradist. min...

Obi. 5. Si Deus est immutabilis in sua volitione, tunc in vanum oramus? — **Resp.** Nego, quia Deus ab aeterno nostras preces in suis decretis includit.

Obi. 6. Deus modo condit, modo destruit; ergo eius voluntas mutatur. **Resp.** Dist. cons.: Ipse entitative mutatur, nego; mutatur terminus (sc. creatura), conc.

THESIS 21. Deus est aeternus.

Nexus. Ex Dei immutabilitate logice sequitur aeternitas.

Notiones. I. Tempus Secundum Aristotelem est "numerus motus secundum prius et posterius". Secundum **cosmologiam** aliter definiri potest, sc.: "Tempus est illud, quod concipitur tamquam receptaculum mutationis successivae corporum secundum aliquam analogiam extrinsecam". **Divisio** in tempus absolutum et relativum, in t. reale et possibile, astronomicum, etc. hic non requiritur ad thesim explicandam.

Maioris momenti erit alia definitio, quam scholastici in theodicea dare solent; sc.: Tempus est **"duratio formaliter successiva"** (cf. Rast, pg. 130 n.° 245).

Quae definitio breviter explicatur:

1) **"duratio"** est permanentia rei in esse; est perfectio negative simplex; tantum in creaturis involvit imperfectionem, sc. propter successionem;

2) **"formaliter successiva"** i.e. res creatae (saltem huius mundi) sunt in continuo transitu de potentia in actum relate ad ipsas **"quandocationes"**. In quo est similitudo quaedam cum motu locali, cum sit transitus continuus rei corporeae de potentia in actum relate ad diversas **"ubicationes"** successive obtinendas.

II. Aevum (vel **sempiternum**) "est duratio creata **formaliter non successiva**,... licet mutationes accidentales instantaneae.. possibiles sint, v. gr. in cognitione et in affectibus" (cf. Rast, pg. 130-131 n.° 245). Est proinde similitudo et differentia inter tempus et aevum, scilicet:

1) **similitudo:** utrumque habet **initium;** in utroque casu datur **mutatio;** (in aevo saltem mutationes accidentales instantaneae, uti modo dictum est);

2) **differentia:** a) tempus **et** incipit **et** habet finem, aevum tantum incipit, sed nullum habet finem; b) tempus habet **successionem** formalem, aevum est formaliter non successiva, ideo apparet ut **"unum sempiternum instans"** (cf. v. gr. in extasi S. Ignatii).

III. **Aeternitas** est duratio **tota simul** sine initio et sine fine; proinde excludit prorsus omnem successionem, non tantum formalem, uti in tempore habetur, sed etiam illam mutationem accidentalem instantaneam, quae possibilis est in spiritu creato, uti supra vidimus. Celeberrima est definitio **Boethii:** Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio".

Aeternitas est proinde attributum **absolutum,** ipsum esse Divinum subsistens, consideratum sub respectu durationis, in oppositione ad "omnipraesentiam vel coexistentiam cum omnibus temporibus", quae est attributum **relativum** et extrinsecum, cum supponat tempora realia.

Argumentum. Deus est aeternus, si ei convenit duratio tota simul sine initio et sine fine; **atqui** talis Deo convenit; **ergo** Deus est aeternus.

Ad min. I. Deo convenit **duratio.** Nam duratio ex suo conceptu est aliqua perfectio simplex, quae Deo formaliter convenit.

II. Sine initio et sine fine.

Arg. 1. Nam Deus est ens **a se; atqui** ens a se est sine initio et sine fine; ergo.

....**Ad min.** a) Evidenter non habet **initium,** cum tale sumere deberet ab alio, et tunc non jam esset a se; b) neque habet **finem,** quia secus non haberet sufficientiam pro existentia et tunc iterum non jam esset a se.

Arg. 2. Deus est actus **purus; atqui** talis est sine initio et sine fine; ergo.

Ad min. Nam in utroque casu esset in aliqua potentia et quidem **passiva,** quod est contra conceptum ipsius actus puri; ergo.

III. Deo convenit duratio **"tota simul"**, (i. e. sine successione et mutatione).

Arg. 1. Deus est absolute **simpelx; aqui** omnis successio (et mutatio) involvit compositionem; ergo Deo non convenit, nisi duratio tota simul.

Art. 2. Deus est actus **purus; atqui** tali non convenit nisi duratio tota simul; ergo.

Ad min. Nam omnis successio (et mutatio) involvit aliquam potentialitatem passivam, quae ipso actui puro evidenter convenire nequit. Ergo.

Coroll. Duratio **"tota-simul"** breviter illustratur aliquo exemplo, licet modo imperfecto: Dicitur de anima, eam existere in corpore "totam in toto et totam in singulis partibus"; aliis verbis, anima est in corpore **tota** et quidem **totaliter,** sed non vice-versa, sc. totum corpus est in anima, sed non totaliter.

Simile quid dicendum in nostro casu. Tota aeternitas est in qualibet quandocatione et quidem **tota** et **totaliter** sed non vice-versa; i.e. omnes quandocationes sunt quidem in aeternitate, sed non totaliter. Aliis verbis: Sicut Deus sine ulla successione actu infinito est ubique, i.e. possidet omnes ubicationes actuales et possibiles, ita possidet omnes quandocationes actuales et possibiles sine ulla **successione**.

Obi. 1. Si Deus esset aeternus, tunc res praeteritae et futurae et praesentes aeternitati coexisterent et tunc omnes res **simul** existerent, quod est plane absurdum. Ergo Deus non potest esse aeternus.

Resp. Dist. antec.: coexistunt aeternitati et quidem toti, conc.; toti et totaliter, nego. Ergo.

Obi. 2. Aeternitas hodie durat longius quam v. gr. heri. Ergo non est tota simul.

Resp. Dist. antec.: hodie pluriores res et pluriora tempora aeternitati coexistunt quam heri, conc.; ipsa aeternitas secundum se hodie longius durat quam heri, nego. Ergo.

Obi. 3. Deus mundum creavit et non creabit. Ergo differentiae temporis valent etiam pro Deo. Et sic ruit aeternitas Dei.

Resp. Dist. antec.: hoc valet ex parte termini, conc.; ex parte Dei, nego. Parit. dist. cons.: valent pro Deo per denominationem extrinsecam, conc.; intrinsece, nego.

THESIS 22. Deus est immensus.

Nexus. In thesi praecedenti locuti sumus de quandocationibus relate ad Deum.

Nunc erit quaestio de ubicationibus et dicendum: Sicut Deus absolute in se excludit omnem temporalitatem, ita erit etiam transcendens supra omnem spatium.

Notiones. Triplex datur modus praesentiae, sc. praesentia:

1) **circumscriptiva,** quae convenit corpori, quod est in loco per partes, i. e. diversae partes corporis correspondent diversis ubicationibus;

2) **definitiva,** quae convenit spiritui creato uti v. gr. animae humanae, quae est "tota in toto (corpore) et tota in singulis partibus corporis". Cum tamen haec praesentia limitetur ad corpus finitum, ideo vocatur praesentia limitata vel "definita", licet sit indivisa et non divisa uti circumscriptiva;

3) **absoluta** (illimitata) soli Deo convenit, cum eius praesentia nullam habeat limitationem.

Argumentum. (Ex infinita Dei perfectione).

Deus est plenitudo perfectionis; **atqui** tale ens, sc. summe perfectum, nequit circumscribi loco vel spatio nec

eis definiri vel limitari; **ergo** Deus nequit circumscribi neque definiri loco vel spatio, aliis verbis, est immensus.

Caroll. 1. Immensitas, de qua in thesi directe agitur, est attributum Dei absolutum. Omnipraesentia auten est attributum relativum, cum sequatur immensitatem eo ipso, quod adsunt res. Omnipraesentia conotat relationem realem creaturarum ad Deum, sed tantum logicam ex parte Dei ad creaturas.

Coroll. 2. Deus rebus triplici modo inesse dicitur a scholasticis, sc.: 1) per **essentiam,** inquantum omnibus inest ut causa essendi per influxum creativum et conservativum; 2) per **potentiam,** cum omnia moveat tum potestate physica tum morali (dominio jurisdictionis et proprietatis; 3) per praesentiam, quia omnia in conspectu eius sunt posita et omnibus etiam minimis providet. Deus proinde est in rebus per essentiam ratione creationis et conservationis, per potentiam ratione concursus et supremae auctoritatis et per praesentiam ratione scientiae et providentiae. (Cf. S. Thomas, S. th. p. l. q. 8. a. 3.).

Nihilominus "melius dicendum videtur, **res esse in Deo** vel contineri a Deo quam Deum esse in rebus, cum habeant relationem realem dependentiae ab eo nec possint existere sine tali relatione" (Rast, pg. 124 n.° 229).

THESIS 23. Non est nisi unus solus Deus.

Nexus. In thesi de simplicitate Dei probavimus, in Deo esse absolutam **unitatem** perfectionum. Nunc agitur de absoluta **unicitate** Dei.

Notiones. Unum est idem ac "indivisum in se" (cf. Rast, pg. 134 n.° 251). Potest esse quadruplex, scilicet:

1) unum **transcendentale,** quod convenit prorsus omni enti, et quidem eo gradu, quo est ens;

2) unum **praedicamentale,** quod est principium multitudinis ideoque reductive de genere quantitatis et vocatur unitas **numeralis;**

3) unitas **singularitatis** seu stricte **unicum,** quod excludit alia eiusdem rationis vel naturae vel essentiae vel eiusdem perfectionis essentialis;

4) unitas **universalitatis** (universale) habetur tantum ex operatione mentis et pertinet ad ordinem logicum (cf. Frick, ontol., pg. 4-11).

Sensus theseos. Loquimur de unitate singularitatis et dicimus, Deum esse ens absolute **unicum,** i.e. naturam **non** esse multiplicabilem (seu **nullum** fundamentum praebere pro universali), ideo absolute repugnare, existere plures deos.

Adversarii. Sunt omnes **polytheistae** et **dualistae,** speciatim manichaei, qui duo suprema principia defendunt. sc. summum bonum et summum malum.

Argumentum 1. (Ex aseitate)
Deus est ens a se; **atqui** ens a se est unicum; **ergo** existit unus solus Deus.
Ad min. Nam ens a se existit **vi suae essentiae** ideoque existentia est de eius essentia; atqui talis essentia multiplicari **nequit;** 1) quia secus non jam existeret vi suae essentiae, sed vi actionis alterius, sc. vi ipsius entis multiplicantis; 2) quia tunc existerent actu infinite multi dei (quia ex conceptu suo quilibet necessario existeret) quod iterum est absurdum, cum sit contradictio in terminis et cum numerus actu infinitus prorsus repugnet.

Argumentum 2. (Ex actu puro)
Deus est actus purus; **atqui** actus purus est unicus; **ergo** Deus est unicus.
Ad min. Nam actus purus ex suo conceptu est **plenitudo** actualitatis, proinde continet omnem prorsus actualitatem, sc. finitam "aequivalenter" et "eminenter", **infinitam** autem per absolutam **identitatem,** ideo est sibi absolute **identicus = unicus.**
Ideo, si essent duo vel plura entia suprema, tunc primum evidenter **non** contineret actualitatem (infinitam) alterius respective aliorum per identitatem et sic non jam esset actus purus. Ergo actus purus non est nisi unicus.

Argumentum 3. (Ex plenitudine perfectionis)
Deus est ens perfectissimum; **atqui** ens perfectissimum est unicum; **ergo** etc.

Ad min. Nam ens perfectissimum continet omnem perfectionem et quidem creatam vel finitam aequivalenter et eminenter, infinitam autem per absolutam identitatem (similiter uti dictum est in argumento 2.°).Ideo ens perfectissimum est sibi absolute identicum, sc. unicum.

Argumentum 4. (Ex simplicitate absoluta)
Deus est ens absolute simplex; **atqui** ens absolute simplex est unicum; **ergo,** etc.

Ad min. Nam, si esset multiplicabile, tunc eo ipso in eo esset compositio, saltem metaphysica, quod in ente absolute simplici repugnat. Ergo ens simplicissimum est unicum.

Coroll. Si est unicum supremum principum omnium rerum, uti modo probavimus, quomodo tunc explicari possunt mala mundi, sive physica, sive moralia? Manichaei problema solvere conantur per dualismum, uti vidimus. Quaenam sit nostra solutio, explicavimus in thesi 17, praesertim in scholio 1.°.

Obi. 1. Possum bene cogitare duo entia infinite perfecta, quorum utrumque contineret perfectiones alterius (sc. contineret aequivalenter perfectiones alterius entis infiniti).

Resp. Tunc eo ipso ruit infinita perfectio utriusque. Nam, ut adsit reapse perfectio infinita, requiritur, ut tale ens habeat perfectiones infinitas per absolutam **identitatem** et non tantum "aequivalenter".

Obi. 2. Summum bonum non potest esse principium malorum. Ergo praeter summum bonum est summum malum, utpote principium malorum.

Resp. Dist. antec.: non p. efficiens, neque deficiens, conc.; non p. permittens, nego. Ideo nego cons.

Obi. 3. Unum ens infinitum posset creare aliud infinitum? — **Resp.** Est impossibile. Nam, eo ipso, quo aliquid producitur, est causatum et proinde limitatum.

Obi. 4. Si una natura infinita, tunc esset etiam una tantum persona? — **Resp.** Nego, cum una eademque numerice natura simul subsistat in tribus personis. Ceteroquin transmittitur ad theologiam dogmaticam.

THESIS 24. Deus est ens omnino personale.

Nexus. Personalitas Dei jam ex multis thesibus clare elucet, uti v. gr. ex argumento deontologico, teleologico, ex thesi de plenitudine perfectionis, etc.; nihilominus bonum erit, de hac quaestione specialiter tractare.

Notiones. I. **Natura** est substantia in quantum est principium ultimum intrinsecum actionum (cf. Frick, ontol. pg. 135 n.° 218). Differt a **supposito,** in quantum hoc est principum **quod** agit: **natura** autem est principium **quo** suppositum agit. (Cf. ib. pg. 146 n.° 237). Quare ortum est adagium vel axioma: "Actiones sunt suppositorum" (cf. ib.).

II. Suppositum est "substantia singularis completa ut aliquid totum in se subsistens" (ib. pg. 142 n.° 227); 1) **"substantia"** in oppositione ad accidens; 2) **singularis** in oppositione ad substantiam universalem; 3) **completa** in oppositione ad incompletam; 4) **totum in se subsistens** in oppositione ad naturam assumptam.

III. **Persona** est "suppositum rationale" (cf. ib. pg. 142 n.° 228).

Adversarii. Sunt **pantheistae,** quamvis aliquando nostram thesim **apparenter** confirmare videantur. Ita v. gr. Spinoza affirmat: "Substantia (est) constans infinitis attributis, quorum numquodque aeternam et infinitam substantiam exprimit" (cf. Stoeckl, Gesch. d. Phil., pg. 277). Nihilominus negat Dei personalitatem, quia ex mente adversarii Deus fit personalis **"tantum** in creaturis rationalibus, quae non sunt supposita" (cf. Rast, pg. 137 n.° 256).

Argumentum 1. (Ex definitione personae)
Persona est suppositum rationale i.e. "substantia rationalis, singularis, completa ut totum aliquid in se subsistens" (cf. Frick, pg. 142 n.° 228). **Atqui** quaecumque dicuntur in definitione, valent formaliter de Deo. **Ergo** Deus est persona.

Ad min. Nam omnia et singula elementa definitionis exprimunt perfectionem simplicem; atqui Deus continet formaliter omnem perfectionem simplicem, uti aliunde constat (praesertim ex thesi de infinita Dei perfectione).

Argumentum. 2. (Ex Dei spiritualitate)
Deus est ens summe spirituale (quod ex multis thesibus praecedentibus clare constat); atqui ens spirituale (idem ac rationale), saltem in ente **infinite perfecto,** non erit **solum** quid substantiale, singulare, completum, sed etiam "quid totum in se subsistens" (quod est idem ac suppositum rationale vel persona); **ergo** Deus est ens personale.

Coroll. Ex thesi sequitur Deum esse "ens personale" i. e. saltem **"unam personam"**; utique, ex fide scimus, in Deo esse de facto **tres** personas. Cui veritati dogmaticae thesis evidenter non contradicit. Nam, probare, Deum **non** esse ens **impersonale,** vel dicere, eum esse **saltem** unam personam, evidenter **non** negat illam veritatem dogmaticam de trinitate personarum.

Obi. 1. Ipsum ego oritur tantum ex oppositione ad non-ego; aqui saltem ante creationem pro Deo non exstitit non-ego; ergo neque ego.

Resp. Dist. mai.: valet de ego ontologico (de quo praesertim in thesi), nego; de ego psychologico seu de actuali conscientia sui, subd.: in homine, conc.; in spiritu infinito, nego; conc. min. et data dist. in mai. nego cons.

Obi. 2. Persona dicit aliquod finitum; atqui Deus est ens infinitum; ergo etc.

Resp. Dist. mai.: in creaturis, conc.; ex suo conceptu, nego; conc. min. et data dist. in mai. nego conc.

THESIS 25. Reicitur pantheismus tamquam systema falsum.

Nexus. In multis thesibus praecedentibus et speciatim in thesi de Dei unicitate et in thesi de Dei personalitate refutatum est systema pantheistarum, saltem implicite.. Cum tamem sit error antiquus et semper novus et maxime modernus et simul tam nefandus, illum in aliqua speciali thesi tractare et refutare volumus.

Notiones I. Pantheismus in genere: Non obstantibus diversis modis, quibus systema pantheisticum sese manifestare solet in diversis saeculis, existunt tamen certa puncta fundamentalia, fere omnibus theoriis pantheisticis communia, sc.

1) Non existit nisi una sola substantia, quae est ens a se, aeternum, absolutum infinitum, sed impersonale, sive ut ens abstractissimum, sive ut quaedam voluntas caeca etc.; 2) Entia mundana non sunt verae substantiae, sed tantum modi vel manifestationes entis divini; 3) Deus fit sui conscius tantum in hominibus. Cum non sit Deus personalis, non existit obligatio moralis utpote fundata in voluntate Divina. 4) Consequenter non admittunt nisi ordinem empiricum, negato ordine metempirico, neque concedunt immortalitatem individualem animae.

Nota: a) Si pantheistae loquuntur de ente "a se", infinito, aeterno, etc., evidenter non secundum nostros conceptus scholasticos; secus non possent pervenire ad conclusiones tam absurdas et erroneas. b) **Quoad vocabulum** (sc. "pantheismi") dicendum, inventum esse a **Toland** anno 1705 (cf. Herder, Lex., vol. 9. pg. 213).

II. **Pantheismus in suis diversis formis.** (Cf. **Rast,** comp. et **Herder,** Lexikon, vol. 9. pg. 213-214). Multi, uti Stoeckl, Herder, etc. distinguere solent inter pantheismum spiritualisticum, naturalisticum, mysticum, monisticum, immanentisticum, emanatisticum, etc., sine distinctione ulteriori (cf. v. gr. Stoeckl, Gesch. d. Phil.. pg. 458).

Cum Rast dividimus pantheistas in duas classes, sc. secundum gradum immanentiae et secundum theoriam cognitionis.

A. **Diversae formae secundum gradum immanentiae:**

1) pantheismus **immanentisticus.** Deus simpliciter identificatur cum mundo et cum omnibus rebus. Invenitur praesertim in natura (Giordano Bruno). Practice est idem ac theismus positivus dogmaticus vel saltem agnosticus (cf. Haeckel, Taine);

2) pantheismus **transcendentalis.** Est quaedam forma mystica secundum quam Deus non simpliciter identificatur cum mundo; sed ipse quodammodo relinquit mun-

dum sensibilem, redeundo in animam spiritualem, (cf. Brahmanismus, Plotinismus, etc.);

3) pantheismus **immanens-transcendens.** Deus transcendit totum mundum sed manifestatur et realizatur in rebus mundanis (v. gr. Spinoza, Fichte, Schelling, Hegel, Goethe, Schleiermacher, etc).

B. **Diversae formae secundum theoriam cognotionis suppositam:**

1) **pantheismus realisticus,** secundum quem res mundanae sunt revera existentes licet non ut substantiae. Qui pantheismus realisticus secundum **Herder** iterum in quinque formas subdividi potest; (cf. Herder, Lexikon, vol. 9. pg. 213);

a) pantheismus **staticus,** sc. secundum quem entia singularia ipsius mundi empirici non sunt nisi diversi modi essendi unius eiusdemque entis divini (cf. stoici graeci, Spinoza et alii);

b) pantheismus **evolutionisticus.** Dicit, Deum esse unam eandemque substantiam cosmicam, realem in continua evolutione (cf. Fichte, Schelling, Hegel, Hartmann, Schopenhauer, et nuperrime Scheler);

c) pantheismus **emanatisticus,** qui docet, mundum continuo emanare ex ente divino; (ita Gnosticismus. Neoplatonismus, philosophia arabica, Giordano Bruno, etc.);

d) pantheismus **illusionisticus.** Est forma modificata ipsius pantheismi emanatistici antiquae philosophiae vedanticae. Dicit, solum Deum realiter existere; "cosmum" non esse nisi apparentiam finitam ("endlicher Schein");

e) pantheismus **"sanguinis" vel "rassae"** (ipsius Rosenberg et Schwarz), qui docet, Deum sese manifestare et sese evolvere in ipso sanguine. (Herder, ib. pg. 213);

2) **pantheismus idealisticus,** pro quo Deus est ipsa cogitatio et res mundanae non sunt nisi apparentia cogitata (cf. Rast, pg. 142). Qui pantheismus idealisticus iterum est vel emanatisticus vel evolutionisticus;

a) pantheismus **emanatisticus** docet, creaturas emanare a Deo, ipso manente immutato (cf. Neoplatonismus);

b) pantheismus **evolutionisticus,** secundum quem Deus ipse sese evolvit in processu mundano (ita Fichte, Schelling, Hegel, etc.).

III. **Conspectus historicus relate ad pantheismum**. (Cf. **Stateczny**, Comp. Hist. Ph.; **Rast**, Comp. theod.; **Herder**, Lexikon; **Stoeckl**, Gesch. d. Philosophie).

1) **Philosophia orientalis** Indiae, sc. **Brahmanismus**, qui docet omnium rerum identitatem. Existit una tantum realitas, sc. suprema, quae est anima universalis mundi ex qua omnes ceterae animae emanant (pantheismus **emanatisticus**).

2) **Philosophia graeca.** a) **Heraclitus**: Deus (lógos") est omnium rerum principium primaevum, quod sese evolvit ad mundum empiricum (cf. **Stoeckl**, pg. 29).

b **Eleati**, uti v. gr. **Xenophanes**, qui docet unitatem universi, quod emanavit a Deo; (ib. pg. 26-27); **Parmenides**, qui docet, esse identitatem inter esse et cogitare; rerum multiplicitatem non esse nisi phanomenon pure subiectivum; est proinde **monismus idealisticus**, (ib. pg. 27). Similiter affirmat **Zeno Eleus** (cf. ib. pg. 28, et Stateczny, pg. 72-74).

c) **Stoici** docent patheismum **materialisticum**, sc. ens materiale esse simul ens supremum intelectuale; materiam ("páschon") et Deum ("poion") esse unam eandemque substantiam (=pantheismus **monisticus**). (Cf. Stoeckl, pg. 80)

d) **Neoplatonismus** ex schola **alexandrina**, quae fuit philosophia graeco-orientalis. Auctor principalis fuit **Plotinus**, qui docuit pantheismum **idealistico-emanatisticum**. Anima redit ad Deum per solutionem a mundo sensibili et demum per ecstasim. Secundum Plotinum ens supremum est "hén", ex quo emanat secundum, sc. "nõus" ex quo iterum tertium, sc. "hé tes ges psyché", quae est anima universalis mundi et ex qua finaliter emanant singulae animae individuales, quae sua ex parte producunt materiam. (Cf. Stoeckl, pg. 97-100).

3) **In medio aevo** theoria pantheistica occurrit in diversis scholis et sub diversis formis, sc. in schola judaica, arabica necnon in aliquibus philosophis christianis, contra quos auctoritas ecclesiastica sese dirigere debebat.

a) Philosophia **arabica** cum sua schola mystica (cf. "Sufismus") videtur favisse pantheismo emanatistico (cf. Stoeckl, pg. 157 et Rast, pg. 143).

b) Philosophia **judaica**, sc. eius schola **kabbalistica** docuit, mundum emanasse a Deo (Stoeckl, pg. 157-159).

c) **Scotus Eriugena.** Docet pantheismum **monisticum,** sc. existere unam tantum substantiam, sc. divinam, ex qua omnia emanare debeant. Favet proinde emanatismo neoplatonico respective plotinico (cf. ib. pg. 166-170).

d) **Magister Eckardus** docet pantheismum mysticum (cf. ib. 226-229). Etiam Nicolaus Cusanus ideis pantheisticis favisse videtur, etsi forte non expresse (cf. ib. pg. 232-235). **Andreas Cisalpinus** docet pantheismum naturalisticum (ib. 238-239).

4) **Philosophia moderna.** a) **Giordano Bruno,** secundum quem Deus est "natura naturans" et mundus "natura naturata". Deus est anima mundi. Quae theoria magnum influxum exercuit postea in systema pantheisticum ipsius Spinoza (ib. pg. 244).

b) **Baruch Spinoza** docet pantheismum monisticum. Existit una sola substantia, sc. divina. Omnia alia non sunt nisi attributa vel accidentia vel modi essendi et sese manifestandi ipsius esse divini. (Stoeckl, pg. 276-278).

c) **Idealistae germanici** docent pantheismum evolutionisticum uti v. gr. Fichte, Schelling, Hegel, Schopenhauer, Hartmann, etc. (ib. 339-356 et 360-363 et 379 — 382).

d) **Saeculo praecedenti** multi theologi protestantes ideas pantheisticas defendebant, praesertim propter influxum philosophiae hegelianae.

e) Pantheismus **"nationalisticus"** modernus cum sua theoria **"rassae"** et sanguinis, quae Deum "incarnatum" assumit in natione et sanguine (cf. **Rast,** pg. 143 n.° 269 et **Herder,** Lexikon, vol. 9. pg. 213 et vol. 10 pg. 290. et pg. 1292).

Sensus theseos. Cum **Hontheim** (cf. Phil. Lac., theol. nat., pg. 481) dicimus, doctrinam pantheistarum principiis sanae rationis prorsus contradicere. Hontheim primum argumentatur in genere et postea speciatim contra pantheismum monisticum ipsius Spinoza (ib. pg. 491) et tandem contra pantheismum evolutionistico-idealisticum ipsius Hegel, (cf. pg. 500-506). Cum **Rast** refutamus pantheismum in genere, cum argumenta nostra de facto eo ipso valeant contra omnes diversas formas in statu quaestionis enumeratas.

Argumentum 1. (Ex infinitate Dei)
Deus est infinitus; **atqui** pantheismus Dei infinitati prorsus contradicit; **ergo** systema pantheisticum est falsum.

Ad min. Nam secundum pantheistas Deus intrinsece evolvitur phaenominis finitis; ergo etiam in Deo essent limites, et sic theoria eorum, infinitati prorsus contradicit (cf. Hontheim, Phil. Lac. pg. 488).

Argumentum 2. (Ex plenitudine perfectionis Divinae. Deus est ens perfertissimum; **atqui** pantheismus hoc negat; **ergo.**

Ad min. Nam secundum pantheistas multae imperfectiones sunt in Deo. sc.: omnes rerum defectus Deo sunt proprii; in homine Deus dolorem et famem patitur, ignorat, errat, mente alienatur, passionibus et libidinibus inquinatur (cf. ib.).

Argumentum 3. (Ex Dei simplicitate absoluta)
Deus est absolute simplex; **atqui** pantheismus negat Dei simplicitatem; **ergo** etc.

Ad min. Nam, sive sit pantheismus staticus sive emanatisticus, sempre involvit multiplicem compositionem ex actu et potentia et vice-versa.

Arfgumentum 4. (Ex Dei immutabilitate)
Deus est absolute immutabilis; **atqui** secundum pantheismum in qualicumque forma propositum destruitur immutabilitas absoluta Dei; **ergo** est systema falsum.

Ad min. Nam 1) secundum pantheismum staticum ipsius Spinozae entia mundana sunt modi quibus substantia divina continuo modificatur ideoque mutatur; 2) secundum emanatismum realisticum mundus a Deo emanavit, quod non tantum directe pugnat contra Dei simplicitatem, uti vidimus, sed speciatim contra eius immutabilitatem; 3) in pantheismo idealistico-evolutionistico ipsius Hegel Deus sese continuo evolveret, ideoque continuo mutaretur de uno statu ad alium; et sic in qualibet forma pantheistica idem semper dicendum erit, sc. directe peccare contra absolutam Dei immutabilitatem.

Argumentum 5. (Ex voce conscientiae)
Homo in suis actibus liberis sentit veram responsabilitatem per vocem conscientiae; **atqui** hoc nequit stare cum pantheismo; **ergo** systema est reiciendum.

Ad min. Nam 1) Secundum omnes pantheistas Deus saltem **in se** (cf. Rast, pg. 137) est ens omnino impersonale; atqui tale ens evidenter non potest esse auctor illius vocis conscientiae, utpote legis moralis; ergo pantheismus peccat contra existentiam illius vocis. 2) Pantheistae debent logice negare libertatem creaturae (et de facto negant). Atqui talis theoria iterum explicare nequit vocem conscientiae et consequentem hominis responsabilitatem (immo aperte huic contradicit). Ergo pantheismus stare nequit.

Coroll. 1. Sic multa alia argumenta elaborari possent contra pantheismum, v. gr. ex dignitate humana, vel ex desiderio beatitudinis, vel ex populorum persuasione.

Ideo **Rast** recte affirmat: "pantheismus numquam evasit religio popularis, quae semper erat aut theistica aut polytheistica" (Rast, pg. 144). Afferri possent multae aliae pantheistarum contradictiones praeter illas in nostris argumentis enumeratas. Sic v. gr. Hegel defendit pantheismum idealisticum, quamvis faveat evolutionismo realistico, uti constat ex conspectu historico.

Coroll. 2. Secundum Rast "Aliqui distinguunt inter theopanismum, secundum quem Deus identificatur cum mundo, et pantheismum secundum quem mundus ipse identificatur cum Deo. Panentheismus a diversis auctoribus non eodem modo definitur. Secundum alios est specialis forma pantheismi (v. gr. Spinozae), secundum alios exhibet solum dependentiam omnimodam mundi a Deo, quin dualitas essentialis eliminetur" (Rast, pg. 147 n.° 274).

Schol. Pantheismo reiecto, confirmatur nostra thesis de charactere personali entis Divini. Qua occasione perpauca addi possunt relate ad Dei naturam et personalitatem, quae constant vel ex philosophia vel ex theologia dogmatica:

1) **Natura** est ipsum **"esse absolutum"**;
2) **personalitas** respicit ipsum **"esse relativum"**;
3) ex revelatione scimus, existere in Deo tres personas; de quibus ex sola philosophia evidenter nihil scimus, sed tantum hoc, sc. in Deo esse veram personalitatem; uti de facto probatum est in thesi 24;
4) quaelibet persona Divina est **totum** esse **absolutum** et **totum** esse relativum aliarum personarum, utique, alio modo;
5) in Deo **nulla** est **compositio** neque physica neque metaphysica, **neque** in esse absoluto neque in esse relativo, licet in Deo sit **multiplex distinctio,** et quidem:
a) **realis physica** in ipso esse relativo (sc. inter tres personas);
b) **rationis cum fundamento** in ipso esse absoluto (sc. inter essentiam et attributa et inter ipsa attributa, uti in speciali thesi probatum est) et
c) **d. rationis cum fundamento** inter esse absolutum et esse relativum; ideo
6) compositio **non** potest esse plane idem ac **distinctio**, quia secus
a) in esse **relativo** esset compositio physica et
b) in esse **absoluto** esset compositio saltem metaphysica (quod utrumque esset non tantum contra sanam philosophiam sed praesertim contra theologiam dogmaticam.

Obi. 1. Pantheistae saepe eodem modo loquuntur uti scholastici. **Resp.** Sed verba aliter intelligunt quam philosophi scholastici, uti saepe vidimus.

Obi. 2. In theologia mystica simile quid affirmatur? **Resp.** Dist. assert.: in aliquo mysticismo falso, conc.; in mystica ab Ecclesia Catholica approbata, nego.

Obi. 3. Spinoza v. gr. clare loquitur de una substantia Divina, distincta a creaturis; ergo non docet pantheismum.

Resp. Dist. assert.: ita, ut (secundum Spinoza) creaturae sint substantiae a Deo distinctae, nego; ut modi vel accidentia Divinae substantiae, conc.; ideo nego...

Obi 4. Etiam nos dicimus, perfectiones mundanas contineri in Deo. Ergo idem affirmamus uti pantheistae.

Resp. Dist. assert. dicimus eas contineri aequivalenter et eminenter; conc.; per identitatem, nego. Data dist. nego cons.

Obi. 5. Esse nequit multiplicari. Ergo existit unum solum ens. **Resp.** Dist. assertum: ipsum esse infinitum, conc.; esse finitum, subd.: inquantum dicit realitatem determinatam et concretam, conc.; si dicit realitatem indeterminatam, nego. Ideo nego consequens.

PARS IV

DE ATTRIBUTIS OPERATIONIS DIVINAE

Praenotanda:

In parte tertia locuti sumus de attributis ipsius esse Divini. Erit nunc sermo de operatione Divina, et quidem de Dei cognitione eiusque volitione. Debemus ostendere, Deum sese ipsum cognoscere et quidem modo infinite perfecto. Deinde probandum erit, Deum perfectissime cognoscere omnia possibilia et omnia futura actualia, sive necessaria sive libera; immo videbimus, eum infallibiliter cognoscere omnia futuribilia vel libera conditionate futura. Quae omnia cum absoluta certitudine constant. -Quomodo autem Deus cognoscere valeat ipsa futura libera speciatim futuribilia, est problema, quod procul dubio maiorem difficultatem causare solet. Quare inter philosophos et quidem inter ipsos scholasticos diversae theoriae elaboratae sunt ad illud problema solvendum, uti videbimus in celeberrima thesi de Bañezianismo et Molinismo.

Qua thesi tractata, erit breviter quaestio de Dei libertate ad extra, necnon de eius potentia operandi et de eius omnipotentia.

THESIS 26. Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto seseque comprehendit.

Notiones. 1) Dicitur **"intelligit"**; i.e. Deo convenit cognitio spiritualis, sc. facultas, qua non tantum percipiuntur sensibilia et materialia, sed etiam immaterialia, spiritualia; dicitur

2) **"formaliter"**, i.e. secundum rationem **propriam** ipsius conceptus. Quae perfectio Deo proinde non tantum convenit virtualiter, uti perfectiones mixtae;

3) **"modo infinite perfecto"**; i.e. eminenter et quidem

a) quoad ipsum **modum** ut talem; i.e. Deus cognoscit omnia simplicissimo actu **intuitivo,** sine ullo processu discursivo et sine ullo labore. Quod erit speciali modo inculcandum in sententia **S. Bellarmini** relate ad infallibilitatem cognotionis Divinae explicandam quoad futuribilia;

b) quoad **gradum;** sc. Deus omnia cognoscit **claritate** infinita, i.e. modo absolute "comprehensivo", uti statim explicandum erit;

c) quoad **obiectum;** sc. cognoscit simpliciter omnia, se ipsum et omnia alia, sive possibilia, sive actualia, sive praesentia sive praeterita sive futura, sive futura necessaria sive libera; et ipsa libera, sive sint absolute sive conditionate futura, vel futuribilia;

4) Dicitur **"sese comprehendit"** i.e., Deus sese cognoscit **totaliter,** i.e. secundum **totam** suam cognoscibilitatem; aliis verbis: Dei cognitio sui ipsius est **tanta, quanta** eius cognoscibilitas. (Quod ultimum certo de nulla creatura dici valet relate ad suam propriam cognitionem, a fortiori non relate ad eius cognitionem Dei, uti saepe vidimus).

Adversarii. Sunt generatim **pantheistae,** qui Dei infinite perfectam cognitionem negant, vel simpliciter nullam cognitionem in Deo admittunt, uti multi eorum.

Pars I. Deus formaliter intelligit.

Argumentum. Intelligere est perfectio simplex; **atqui** omnis perfectio simplex Deo convenit formaliter; **ergo** Deus formaliter intelligit.

Ad min. De quo fusius tractatum est in thesi de infinita perfectione Dei.

Pars II. Deus intelligit modo infinite perfecto.

Argumentum. Essentia Divina est perfectio prorsus infinita; **atqui** intellectio Divina est entitative identica cum ipsa eius essentia; **ergo** etiam intellectio est simpliciter et absolute infinita.

Ad min. Non obstante identitate ontologica esse tamen distinctionem logicam cum fundamento inter essentiam eiusque attributa, jam sufficienter explicatum est in aliqua thesi praecedenti.

Pars III. Deus sese comprehendit.

Argumentum. Deus sese comprehendit, si eius cognitio est tanta, quanta eius cognoscibilitas; **atqui** est tanta; **ergo** Deus sese comprehendit.

Ad min. 1) Sequitur immediate ex parte II.ª; nam si sese non "comprehensive" cognosceret, de facto non esset cognitio infinite perfecta. 2) Nam subiectum cognoscens et obiectum cognitum (vel cognoscibile) in nostro casu sunt identica. Ideo, quanta est cognoscibilitas ipsius esse Divini, tanta erit etiam eius cognitio (sc. prorsus infinita, cum ipsum obiectum sit infinitum).

Coroll. Ex dictis in thesi sequitur:

1) "Deus non cognoscit componendo et dividendo, sicut fit in judiciis nostris. Nam in Deo non sunt plures apprehensiones et conceptiones cum distinctione reali vel virtuali perfecta, ex quibus judicium generatur et componitur, sed unico simplicissimo actu cognoscit subiectum et praedicatum et conformitatem intellectionis cum re. Est tamen in Deo formaliter vel proprie judicium, quia eodem actu quo veritatem apprehendit, eam affirmat" (Hontheim, theod., pg. 219-220).

2) "Scientia Dei non est discursiva sicut ratiocinium nostrum. Nam in Deo non habentur plures intellectiones realiter vel perfecte virtualiter distinctae, quarum una aliam generat, sed unico actu omnia simul videt, sine discursu proprie dicto" (ib. pg. 220).

3) "Deus est intellectio subsistens, i. e. intellectio Dei non est accidens Dei, sed ipsa eius substantia. Nam in Deo propter summam eius simplicitatem nullum est accidens" (ib.).

Schol. De virtutibus intellectus Divini.

Quinque distingui solent virtutes intellectuales in Deo (sicut etiam in homine) sc.: Intellectus, scientia sapientia, prudentia et ars. De quibus perpauca dicere volumus:

1) **Intellectus.** Mens Divina vocatur "intellectus" in quantum res intelligibiles cognoscit absque et sine ullo discursu. 2) **Scientia** est mens Divina inquantum Deus cognoscit res per proprias et proximas rerum causas. 3) **Sapientia** est eadem mens Divina inquantum supremas rerum causas cognoscit. Itaque Deus res in altissimis earum causis considerat et propterea opera sua optime disponit et ordinat. 4) **Prudentia** est eadem mens Divina, inquantum est recta ratio agibilium. Deus enim habet rectum et infallibile agendorum judicium. 5) **Ars** est mens Divina inquantum est recta ratio factibilium omnium eorumque modorum, quibus fieri possunt.

Obi. 1. Deus modo plura scit modo pauciora. Nam hodie plura scit tamquam praeterita quam scivit ante centum annos; ergo scientia Dei non est infinita.

Resp. Hodie plura entia sunt praeterita quam antea et Deus hoc scit ab aeterno in aeternum, et sic Deus hodie plura scit "ut praeterita", sed tantum per denominationem extrinsecam, non autem per aliquam mutationem intrinsecam.

Obi. 2. Deus plures res potuisset creare, quam de facto creavit, tunc pluras res ut existentes videret; ergo eius scientia non est infinita.

Resp. Tamen ab aeterno illas cognoscit ut creabiles, ideo nego cons. — **Notandum:** Deus scit omne verum et plus quam omne verum scire non potest" (cf. S. Thomas, S. Thed. p. I. q. 14. A. 15, ad (2 et 3). Debemus semper considerare, mutationem externam nullam causare imperfectionem in Deo.

Obi. 3. Negare in Deo cognitionem discursivam esset idem ac negare, Deum cognoscere syllogismum, quod est absurdum.

Resp. Nego. Nam "cognoscere syllogismum" non est idem ac "indigere syllogismo" ad veritatem cognoscendam.

Obi. 4. Possibilia non sunt in essentia Divina; ergo Deus ea non cognoscit.

Resp. Dist. antec.: non sunt ipsa essentia ut talis, conc.; non ut imitabilis ad extra, nego. Ideo nego cons.

THESIS 27. Deus perfecte cognoscit omnia possibilia.

Nexus. Jam vidimus in thesi praecedenti, Deum comprehensive cognoscere sese ipsum. Nunc probandum erit, eum in se ipso, sc. in sua essentia, utpote infinite imitabili ad extra, cognoscere omnia possibilia.

Notiones. Possibile sensu stricto est illud, quod quidem actu non existit, sed tamen existere posset (cf. Frick, Ontol., pg. 63 n.° 100). Distinctio inter possibile intrinsecum et extrinsecum pro nostra thesi non est tanti momenti. Maioris momenti erit distinctio inter possibile absolute et praecisive sumptum.

1) Possibile **absolute** sumptum est illud, quod hic et nunc non existit, immo et **numquam** erit, sed tamen possibile est, ut existat.

2) Possibile **praecisive** sumptum est illud, quod hic et nunc non existit, sed omnino existere posset, sed praescinditur vel abstrahitur, utrum aliquando erit, an non.

Adversarii. 1) Sunt iterum **pantheistae,** praesertim evolutionistae; 2) multi arabes, uti v. gr. **Averroes,** qui negat, Deum cognoscere singularia, ideoque logice negat, Deum cognoscere omnia possibilia, cum singularia ante existentiam actualem jam sunt possibilia et quidem ut talia, sc. ut singularia.

Sensus theseos. 1) Dicimus, Deum cognoscere possibilia secundum omnes rationes individuantes, et non tantum secundum rationem communem entis, uti falso putat Averroes. 2) Si dicimus, Deum cognoscere "omnia possibilia", evidenter nolumus dicere, ea constituere aliquam seriem **actu** infinitam, uti alibi jam notatum est.

Hoc enim supponeret conceptum falsum tum de infinitate, tum de mundo possibili. Possibilia sunt enim (uti etiam alibi dictum est) "ipsa essentia Divina, non ut talis, sed ut imitabilis ad extra".

Argumentum 1. Deus comprehensive cognoscit suam essentiam (cf. th. 26. P. III.); **atqui** possibilia conti-

nentur in essentia Divina (et quidem virtualiter, cf. Rast, pg. 155 n.° 286); ergo Deus cognoscit possibilia.

Ad mai. Nam, qui comprehensive cognoscit essentiam, debet cognoscere omnia ea, quae in essentia continentur, uti elucet ex thesi praecedenti.

Ad min. Nam iterum dicendum: "Possibilia sunt ipsa essentia Divina, non ut talis, sed ut imitabilis ad extra". Ergo, possibilia evidenter continentur in essentia Divina, sc. "virtualiter".

Argumentum. 2. Deus comprehensive cognoscit suam vim creativam utpote identicam cum sua essentia; **atqui** qui comprehensive cognoscit vim creativam eo ipso cognoscere potest omnia possibilia; **ergo** Deus cognoscit omnia possibilia.

Ad min. Nam vis vel potentia creativa (utpote identica cum essentia) est infinita, proinde sese extendere debet (et quidem intensive et extensive) ad omnia possibilia; ergo qui comprehensive cognoscit vim creativam eo ipso comprehensive sc. perfectissime cognoscit omnia possibilia.

Coroll. Posset aliquis dicere: Si Deus cognoscit omnia possibilia, tunc debet cognoscere multitudinem **actu infinitam,** quod certo repugnat. **Respondendum:** Nego suppositum, sc. possibilia qua talia numerari posse. Nam clare scimus ex aliqua thesi praecedenti (et plus quam semel inculcatum est), possibilia esse **stricte** infinita (licet non absolute uti Deus, sed tantum relative), ideoque numerari nequeunt sicut etiam perfectiones divinae numerari nequeunt. Nam, ut iterum dicamus: Possibilia sunt ipsae infinitae Dei perfectiones, **non** ut **tales,** sed ut **imitabiles** ad extra; atqui Deus numerari nequit, neque ut talis, neque ut imitabilis ad extra; ergo neque possibilia stricte numerari possunt. Ita v. gr. homo possibilis non potest numerari, sed tantum homines, inquantum sunt **individua,** sive in statu actuali, sive in statu potentiae purae, in quo statu ab aeterno jam sunt **determinata** tamquam entia futura, vel ut **"absolute"** futura, uti scholastici dicunt.

Schol. Secundum scholasticos **triplex** distinguitur scientia Divina secundum nostrum modum imperfectum concipiendi, scilicet:

1) scientia **simplicis intelligentiae** (quae sese refert ad **possibilia**);

2) scientia **"media"** (quae sese refert ad **futuribilia**); et ita vocatur ab auctoribus, quia eius obiecta, sc. "futuribilia" quasi **medium** tenent inter alia obiecta, sc. inter "possibilia" et "actualia".

3) scientia **visionis** quae sese refert ad omnia actualia ut talia, sive sint praeterita, sive praesentia sive (et praesertim) futura, sive sint futura necessaria, sive futura libera (vel libera absolute futura).

Nota: Quaenam sit **differentia** inter possiblia et futuribilia, videbimus postea in thesi, in qua agitur de Dei cognitione relate ad futuribilia.

Obi. 1. Possibile non est realitas; ergo cognosci non potest. **Resp.** Dist. ant.: non est realitas physica, conc.; non metaphysica, nego; ideo nego cons.

Obi. 2. Malum non est realitas positiva; ergo a Deo cognosci nequit. **Resp.:** Conc antec. et nego cons., cum Deus illud cognoscit ex bono ipsi malo opposito.

Insto. Tunc non jam est cognitio intuitiva. **Resp.** Dist.: si Deus ad illam relationem cognoscendam indigeret discursione vel labore, conc., secus nego.

Obi. 3. Si possibilia continentur in Deo, tunc Deus dicendus est v. gr. lapis possibilis, quod est absurdum. Ergo non continentur in Deo.

Resp. Dist. antec.: si continentur formaliter, conc.; si tantum virtualiter, neg. Parit. dist. cons. **Nota:** Possibilia non sunt formaliter in Deo tamquam formae informantes sed tantum ut termini imitabilitatis et virtutis manifestativae. Cf. Hontehim, theod. pg. 231).

THESIS 28. Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futura sive necessaria sive libera immo, et omnia futuribilia.

Nexus. In thesi praecedenti probavimus, Deum cognoscere omnia possibilia. Nunc erit quaestio de futuris sive necessariis sive liberis immo, et de futuribilibus vel de liberis conditionate futuris.

Notiones. 1) Futurum **necessarium** est illud, quod nullo modo dependet a libera voluntate alicuius creaturae, uti v. gr. cursus solis, multa facta in vita humana, quae a sola Divina voluntate pendent.

2) Futurum **liberum** est illud, quod non tantum dependet a voluntate Divina sed etiam a voluntate libera creaturarum, uti v. gr. vita sancta vel peccaminosa, etc.

3) Liberum **conditionate** futurum vel **"futuribile"** est illud, quod quidem numquam fit, sed **infallibiliter** fieret, si certae et determinatae condiciones ponerentur. Claritatis causa illustratur per aliquod exemplum:

a) Eva peccare **posset**, si tentatio veniret; (= futurum mere **possibile**);

b) Eva **certo** peccaret, si tentatio veniret; (= **futuribile**).

Quo exemplo clare apparet **differentia** inter futurum **"possibile"** et **"futuribile"**; Nam in 1.° **casu** est tantum nexus **possibilitatis** inter conditionem et actionem liberam; in 2.° **casu** autem est nexus **certitudinis** vel infallibilitatis (sed non nexus necessitatis, cum secus non adesset libertas) inter conditionem et actionem liberam creaturae. Idem ulterius explicatur aliquo **syllogismo:**

Eva certo peccaret, si tentatio veniret (= **futuribile**); atqui tentatio de facto veniet; ergo Eva certo peccabit (= **liberum absolute** futurum).

Qui syllogismus valde juvat postea in argumento.

4) Sicut possibile, ita etiam futuribile **bifarie** sumi potest, scilicet vel absolute vel praecisive;

a) futuribile **"absolute"** sumptum est illud, quod quidem numquam fit, sed certo et infallibiliter fieret, si certa et determinata conditio poneretur;

b) futuribile **"praecisive"** sumptum est illud, quod certo et infallibiliter fieret, si determinata conditio poneretur, sed **abstrahitur** (in primo signo ex parte Dei), utrum illa conditio ponatur an non.

Adversarii. Sunt, aliqui theologi, uti v. gr. **Guenther, Deutinger,** etc., qui Deo attribuunt scientiam non **infallibilem** sed tantum coniecturalem relate ad futura libera et **futuribilia**.

Sensus theseos. 1) Dicimus, Deum infallibiliter praescire omnia futura, sive necessaria, sive libera, immo et futuribilia. 2) Evidens est, thesim valere pro quolibet futuribili, sive absolute sive praecisive sumpto. 3) In tota thesi non erit quaestio nisi de **facto** praescientiae Divinae. De **modo** erit sermo in sequenti thesi. 4) In parte prima et secunda theseos est quaestio de scientia **visionis** in tertia parte autem de scientia **"media"** in oppositione ad scientiam **simplicis intelligentiae,** de qua sermo fuit in thesi praecedenti, ubi probavimus infallibilem Dei cognitionem relate ad possibilia.

Pars I. Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futura necessaria.

Argumentum 1. Deus perfectissime cognoscit omnia **cognoscibilia** (quia eius cognitio est infinita); **atqui** futura necessaria sunt cognoscibilia; **ergo** Deus perfectissime vel infallibiliter cognoscit omnia futura necessaria.

Ad min. Nam aliquid est cognoscibile, inquantum est verum et verum, inquantum est reale; atqui futura necessaria sunt entia realia et quidem realitate physica saltem illo tempore, quo fiunt et quamdiu in esse perdurant. Ergo futura necessaria sunt vera et proinde cognoscibilia.

Argumentum 2. Deus comprehensive cognoscit suam potentiam creativam (cf. th. 27. Arg. 2.); **atqui** potentia Divina creativa comprehensive cognita, eo ipso cognoscuntur omnes creaturae earumque effectus necessarii (quia secus potentia creativa non perfectissime vel comprehensive cognosceretur.); **ergo** Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futura necessaria.

Pars II. Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futura libera.

Argumentum 1. Certo Deus omnia infallibiliter cognoscit, quando de facto fiunt (secus non esset infinite perfectus); **atqui** tunc eo ipso ea omnia cognoscit ab aeterno

(quia secus esset mutatio in Deo, quod metaphysice repugnat); **ergo** Deus ab aeterno et infallibiliter praescit libera absolute futura.

Argumentum 2. Deus comprehensive cognoscit suam vim creativam (cf. th. 27. Arg. 2. et nostra th. 28. P. I. Arg. 2.); ideoque comprehensive cognoscit etiam omnia illa quae a potentia creativa pendent; **atqui** omnia contingentia ideoque etiam omnia libera absolute futura pendent a potentia creativa Divina; **ergo**..., etc.

Argumentum 3. Deus infallibiliter cognoscit omne verum; **atqui** libera absolute futura sunt aliquid verum; **ergo** Deus ea ab aeterno infallibiliter cognoscit.

Ad min. Nam libera absolute futura sunt entia realia et quidem realia physica saltem, quando de facto existunt; ergo sunt quid verum, cum aliquid sit verum, inquantum sit reale, uti supra jam vidimus.

Pars III. Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futuribilia.

Argumentum 1. Deus certo et infallibiliter cognoscit omne liberum absolute futurum (uti modo vidimus in P. II.); **atqui** qui infallibiter cognoscit libera absolute futura, logice prius debet cognoscere futuribilia; **ergo** Deus infallibiter cognoscit omnia futuribilia.

Ad min. Nam liberum absolute futurum in illo syllogismo (cf. status quaestionis) est conclusio et futuribile est una ex praemissis; atqui qui clare cognoscit conclusionem saltem logice prius debet cognoscere praemissas; ergo, qui infallibiliter cognoscit libera absolute futura, logice prius debet cognoscere ipsa futuribilia.

Argumentum 2. Deus certo et infallibiliter cognoscit omne verum (quia secus non esset infinite perfectus, uti jam dictum est); **ergo** Deus infallibiliter cognoscit futuribilia.

Ad min. Nam 1) Possibile est quid verum; atqui tunc a fortiori futuribile, cum sit magis determinatum, uti vidimus in statu quaestionis. 2) Liberum absolute fu-

turum est quid verum (cf. P. II. Arg. 3.); atqui liberum absolute futurum ut **actuale** (i.e. veritas actualis) praesupponit futuribile et suum correspondens **potentiale**. Ergo si ipsum actuale est verum, tunc etiam suum correspondens potentiale, sc. futuribile; ergo futuribile est de facto quid verum.

Coroll. 1. Ut adhuc melius cognoscatur differentia inter futurum mere possibile et futuribile, datur brevissimus conspectus, scilicet:

1) Futurum **possibile** adest, si est nexus **possibilitatis** inter conditionem et correspondens factum (liberum); v. gr. si Deus Petro daret ampliorem gratiam, possibile erit, eum non peccaturum esse; potest nunc sumi absolute et praecisive;

a) **praecisive**, si abstrahitur, utrum conditio aliquando verificatur an non, in nostro casu conditio erit "dare ampliorem gratiam";

b) **absolute**, si conditio de facto non verificatur (quod Deus in signo primo sc. in suis decretis aeternis praescit) et sic "Petrus non peccaturus" manet in casu supposito futurum mere possibile et quidem non sensu praecisivo, sed absoluto.

2) **Futuribile** adest, si est nexus non tantum possibilitatis sed **certitudinis** vel infallibilitatis inter conditionem et correspondens factum liberum. V. gr. Si Deus Petro daret ampliorem gratiam, tunc Petrus infallibiliter non peccaret; quod iterum praecisive et absolute sumi potest, scilicet:

a) **praecisive**, si abstrahitur, utrum conditio aliquando ponitur an non; et;

b) **absolute**, si conditio de facto numquam verificatur.

Coroll. 2. Rast ad Dei praescientiam probandam quoad futuribilia unice probat ex Divina providentia (cf. pg. 160 n.° 297). At aliqui recte arguunt, providentiam Divinam tamquam veritatem philosophicam jam supponere nostram thesim ut aliunde certo probatam. Revera sunt, qui Dei providentiam negant, praecise quia infallibilem Dei praescientiam quoad futura (et a fortiori quoad futuribilia) negant, uti v. gr. Averroistae latini, et quod

ipse Rast breviter indicat. (Cf. pg. 154 et respective pg. 231).

Schol. 1. Quoad partem secundam et tertiam theseos difficultas non est in eo, quomodo actus maneat liber sub praescientia Dei, sed quomodo a Deo praesciri possit, cum sit liber. Quae difficultas solvitur per considerationem aeternitatis Divinae. Nam coram essentia et oculis Dei omnia nostra temporalia "quasi" aeterna sunt et Deus ab aeterno in aeternum omnibus temporibus aeque perfecte praesens est, ac si aeternaliter existerent. Sic. v. gr. nos jam tempore Adami tam bene praesentes fuimus pro Deo, uti illo tempore Adamus, etc.

Schol. 2. Si quis partem III. (quae agit de praescientia futuribilium) probare vellet ex thesi praecedenti, sc. ex praescientia possibilium, evidenter procederet modo illegitimo. Nam ex hoc, quo probatum est, Deum infallibiliter cognoscere possibilia ut talia, non eo ipso probatum est, cognoscere futuribilia. Quod ultimum proinde speciali modo probari debet, uti de facto fecimus.

Obi. 1. In arg. 1.° partis III. dicitur, Deum logice prius cognoscere futuribilia; atqui in Deo non datur prius et posterius; ergo est falsum.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: non datur prioritas temporis, conc.; non prioritas logica, nego. ergo etc. — **Explico:** nam regulae logicae purae valent etiam in Deo Sic v. gr. Deus in 1.° signo (logice prius) cognoscit hominem peccare et in 2.° signo (logice posterius), licet ab aeterno, determinat poenam pro peccato.

Obi. 2. Quod Deus praescit ut futurum, non potest non evenire; ergo ruit libertas. **Resp.** Dist.: non potest non evenire necessitate consequenti, conc.; necessitate antecedenti, nego. Sed nego, tunc pugnare contra libertatem creaturae.

Obi. 3. Si Deus futurum praevidet, quia est futurum, tunc scientia Dei determinatur a rebus creatis. **Resp.** Dist.: per modum causae, nego; per modum conditionis, c.

Obi. 4. Scientia Dei est causa rerum. Ergo nullo modo determinatur a creatura, ne per modum conditionis

quidem. **Resp.** Dist. ant.: Scientia "simplicis intelligentiae" est c. rerum, conc.; scientia visionis et scientia media, nego. Pariter dist. consequens.

De modo, quo Deus praescit libera sive absolute sive conditionate futura vel futuribilia

Praenotanda:

I. In praecedentibus probavimus, Deum omnia ab aeterno et infallibiliter cognoscere et quidem tum possibilia tum actualia, sive necessaria sive libera et quidem libera absolute futura et futuribilia. In quibus omnibus non fuit nisi quaestio **"facti"**. Difficilius erit problema, si oritur quaestio **"modi"**. Relate ad possibilia et futura necessaria solutio erit adhuc facilis. Aliter sese habet si fit sermo de liberis, sive absolute sive conditionate futuris. Quod problema consistit in hoc: **Quomodo** infallibilis Dei **praescientia** conciliari potest cum **libertate** creaturae et vice-versa? — Ultimatim esse mysterium, sane omnes scholastici concedunt. Quare jam a priori notandum, nullam ex sequentibus sententiis omnes difficultates cum plena satisfactione solvere posse. Si res esset tam clara, uti forte aliqui putant, procul dubio non existerent tot diversae opiniones, et quidem inter ipsos scholasticos. Nihilominus nonnulla saltem intra certos limites cum fructu exponi immo, et probari possunt. Circa quae plus minusve explicabilia per decursum temporum fere decem sententiae principales excogitatae sunt ad nostrum problema solvendum. Patet, non omnes veritati aeque apropinquare. Aliquae sententiae peccant per **excessum,** aliae per **defectum** in explicando modo, quo Deus supremum suum dominium exerceat super creaturas liberas earumque activitatem liberam. Immo non desunt, qui tali modo exaggerant sive influxum Divinum sive influxum creaturae liberae, (speciatim in ordine supernaturali) ita ut eorum affirmationes ab Ecclesia reiciantur tamquam falsae et haereticae, uti statim videbimus in conspectu. Cum tota controversia primarie orta sit in campo dogmatico, evidens est, sequentem expositionem historicam non totaliter abstrahere posse a quae-

stione theologica, uti v. gr. in casu de pelagianismo et semipelagianismo. Attamen omnem fecimus conatum in nostro conspectu elaborando, ut reapse contribuere possit ad nostras quaestiones pure philosophicas melius intelligendas. In quo conspectu primarie erit sermo de operibus peccaminosis, cum in illis problema nostrum maxime urgeat.

II. **Conspectus historicus** (quoad diversa systemata, quae explicare conantur relationem inter influxum Divinum et operationem creaturae liberae):

1) Secundum **Calvinismum** Deus **positive** et **physice** hominem praedeterminat **et** ad actum physicum (volitionis peccaminosae) **et** ad ipsam malitiam ut talem; (= sententia **condemnata** ab Ecclesia).

2) Secundum **Jansenismum** Deus, licet non physice, tamen **moraliter** et **positive** hominem praedeterminat **et** ad actum physicum (volitionis peccaminosae) **et** ad ipsam malitiam ut talem; (= sententia **condemnata** ab Ecclesia).

3) Secundum **Bañezianismum** Deus **positive** et **physice** hominem praedeterminat ad actum physicum (volitionis peccaminosae) sed **non** ad ipsam malitiam ut talem.

4) Secundum **Augustianismum** Deus, licet non physice, tamen **moraliter** et **positive** praedeterminat hominem ad ipsum actum physicum (volitionis peccaminosae), sed **non** ad ipsam malitiam ut talem; (quam sententiam defendit v. gr. Laurentius Berti, 1696-1766).

5) Secundum **Scotismum** non datur praedeterminatio, neque physica, neque moralis sed tantum **"condeterminatio"**; sc. Deus **condeterminat** in ipso actu libero et quidem **physice,** sed non ad ipsam malitiam, uti patet sed tantum ad ipsum actum physicum, uti secus in omnibus sententiis ab Ecclesia toleratis notandum erit. Proinde celeberrimum adagium scotisticum: **"Utrumque ab utroque!"** Vult dici: Utrumque elementum, sc. effectivum et determinativum, i. e. ipsa effectio et ipsa determinatio electionis liberae ut talis proveniunt **et** a Deo et a creatura.

6) Secundum **Syncretismum** vel **Ecclecticismum** (cf. S. Alfonsus de Liguori) in operibus facilioribus ipsa **crea-**

tura sese determinat; in difficillimis autem ipse Deus creaturam determinat ad actum. Sed hanc gratiam homo semper oratione impetrare et potest et debet. Ideo in primo casu sequitur Molinismum, in secundo autem sive Bañezianismum sive saltem Augustianismum.

7) Secundum **Congruismum** Deus dat suum concursum **simultaneum** et quidem **"congruum"**, i. e. adaptatum ad ipsas diversas circumstantias externas et internas. (Ita v. gr. Lessius, Suaresius, S. Bellarminus, etc.) Non multum differt a Molinismo, uti patet. Attamen, quoad **praescientiam** Divinam explicandam relate ad actus liberos creaturarum, erit differentia notabilis inter explicationem Sancti Bellarmini et Molinae, uti in thesi sequenti videbimus.

8) Secundum **Molinismum** ipsa **effectio** provenit **et** a Deo **et** a creatura. Quoad ipsam determinationem vel quoad **taleitatem** ipsius electionis liberae debemus distinguere: a) secundum Molinismum **purum** ipsa determinatio vel **taleitas** electionis provenit a creatura **sola** (cf. Hontheim, theod. pg. 249);

.b) secundum Molinismum **moderatum** ipsa determinatio vel **taleitas** electionis venit omnimo a creatura, sed absolute **dependenter** a Deo quoad **totam** entitatem actus. Contra quam explicationem etiam Bañaziani seriam difficultatem facere nequeunt.

Molinismum prorsus defendere concursum **simultaneum,** jam supra breviter indicatum est et in ipsa thesi speciali modo explicabitur.

9) Secundum **Semipelagianismum** creatura non potest exercere opera supernaturalia sine gratia supernaturali, talem gratiam tamen mereri potest viribus naturalibus, saltem de congruo; (= sententia **condemnata** ab Ecclesia).

10) Secundum **Pelagianismum** homo talia opera supernaturalia sine gratia supernaturali omnimo exercere valet (= sententia **condemnata** ab Ecclesia).

Notanda quoad conspectum. Ex supra dictis constat:

I. Tum Calvinismus tum Jansenismus maxime peccant per excessum, quando loquuntur de influxu Divino relate ad actus liberos, praesertim peccaminosos (in quo

ultimo casu maximam injuriam committunt contra Deum). Relate ad libertatem creaturae autem peccant per maximum defectum, cum libertatem plane negent.

Contrarium dicendum relate ad Pelagianismum et Semipelagianismum. Quoad influxum Divinum peccant per defectum (saltem, in quaestione dogmatica, quae sine dubio fundatur supra eorum falsum fundamentum philosophicum). Sed influxum creaturae exaggerant et sic peccant per excessum.

I. **Similitudo** et **differentia** inter illa diversa systemata:

1) Secundum Calvinismum, Jansenismum, Bañezianismum et Augustianismum est influxus **"praevius"** ex parte **Dei,** sive physicus, sive saltem moralis, (et quidem relate ad actum physicum in omnibus; sed relate ad malitiam non in omnibus).

2) Secundum Pelagianismum et Semipelagianismum (saltem quoad actus supernaturales) est influxus **praevius** ex parte ipsius **creaturae**.

3) Secundum cetera systemata (utique, quoad syncretismum distingui debet, uti vidimus) autem est cooperatio **simultanea,** sive ut condeterminatio ex parte Dei (uti affirmat Scotismus), sive concursus (eo sensu, uti affirmatur in Congruismo et Molinismo).

His praesuppositis ad ipsam thesim:

THESIS 29. Deus futuribilia non cognoscit in suis decretis subiective determinantibus, neque in causis secundis, sed in se ipsis, intentionaliter repraesentatis in sua essentia Divina.

Notandum: 1) Loquimur in thesi **tantum de Bañezianismo.** Molinismo et de sententia S. Bellarmini. Secundum Bañez Deus cognosceret futuribilia (immo et libera absolute futura) in suis decretis subiective determinantibus. Secundum S. Bellarminum Deus illa cognosceret in causis secundis, secundum Molinam in se ipsis, intentionaliter repraesentatis in essentia Divina.

2) Ut aliqua sententia sit legitima, servari debent sequentes conditiones:

a) **Dominium** Divinum omnino absolutum super creaturas omnes;

b) **praescientia** Dei tamquam absolute infallibilis, immo, et infinite perfecta;

c) **libertas** creaturae;

d) **sanctitas** Divina, ubi agitur de operibus peccaminosis creaturae;

e) **justitia** Divina, inquantum agitur de poenis infligendis;

Alii adhuc addunt sextam conditionem, sc., ut maneat verum **mysterium.** Nihilominus in thesi mere philosophica putamus abstrahendum esse ab hac ultima conditione, cum ea magis pertineat ad tractatum dogmaticum.

Exponuntur illae tres sententiae:

1) **Bañezianismus.** (Cf. Bañez, Alvarez, Gonet, etc.) Secundum Bañez Deus ab aeterno creaturam liberam ad **unum** actum **praedeterminat** et quidem **positive et physice,** ita ut **metaphysice** repugnet, ponere alium actum (uti v. gr. actum oppositum, vel omittere actum), sed ita determinat, ut creatura **libere** velit illud, ad quod a Deo praedeterminatur. Immo, libertas non tantum non impeditur tali praedeterminatione, sed potius constituitur tali modo. Sic salvare vult **dominium** Divinum.

2) **Bellarminismus.** (Cf. S. Bellarminus, Suaresius, etc.). Secundum hanc sententiam Deus videt omnia libera futura (sive **absolute** sive conditionate futura) in **ipsis causis secundis.** Fere ita S. Doctor ratiocinari videtur: Jam nos permulta praescire possumus relate ad actus liberos aliorum, dummodo cognoscamus eorum characterem, indolem, educationem, inclinationem, moralitatem, etc.; porro, quo melius et clarius a nobis cognoscitur charater alterius, eo certius (licet maneat tantum certitudo moralis) et clarius praesciri valet eius actio libera in tali vel tali circumstantia. Atqui Deus cum infinita claritate et certitudine prorsus infallibili cognoscit voluntatem nostram cum omnibus suis inclinationibus et propensionibus, cum omnibus passionibus etc.; ideo, nostra natura tota, praesertim volitiva "comprehensive" a Deo cognita, eo ipso cum eadem claritate cognosci possunt

singuli actus liberi futuri, sive absolute sive conditionate futuri cum omnibus suis circumstantiis. Et sic S. Doctor explicare vult Dei infallibilem praescientiam relate ad actus liberos creaturarum. Omnia cetera puncta supra enumerata impleri in hac sententia, facillime ostendi valet, uti adhuc videbimus. Problema autem videtur manere quoad ipsam praescientiam; licet forte salvari possit eius certitudo **infallibilis,** tamen **non** videtur esse **infinite perfectam,** uti statim videbimus in argumentatione.

3) **Molinismus.** (Cf. Molina Ludovicus, † 1600). Secundum hanc sententiam Deus **non** praedeterminat, neque determinat (ideoque neque "condeterminat" uti dicit Scotismus) sed simpliciter **concurrit,** non concursu praevio sed **simultaneo.** Quae sententia nunc breviter explicatur:

a) Ex parte Dei adest concursus **"oblatus",** i. e. ipsa promptitudo Divina, qua Deus sese offert ad concurrendum vel cooperandum cum creatura libera; aliis verbis, est ipsa Dei omnipotentia, semper prompta ad concurrendum vel cooperandum. Qui concursus "oblatus" est: 1) **"multiplex"**, i. e. Deus promptus est ad cooperandum quoad multa, v. gr. ad orandum, ad studendum, ad deambulandum, etc. Sed altera ex parte est concursus terminative limitatus, cum Deus non concedat suum concursum ad omnia, i. e. nequidem ad relative omnia. V. gr. nobis non dat concursum ad volandum, vel non dat concursum (supernaturalem) ad eamdem sanctitatem acquirendam, qua gaudet B. Virgo Maria. 2) Est concursus **"indifferens""**; i. e. **non** determinat nostrum actum liberum, secus de facto non jam esset actus liber. 3) Vocatur **"hypotheticus",** cum concedatur conditionate, i. e. quodammodo dependenter a volitione vel potius ab ipsa voluntate creaturae, tamquam a conditione a Deo liberrime admissa.

b) In **secundo signo** creatura libera libere eligit unam ex illis multis actionibus et quidem per modum conditionis, non conditionis praeviae, sed **simultaneae.** Dicunt, hanc conditionem "quasi" determinare Deum ad certum et determinatum concursum conferendum, (= concursus **"collatus").** Sed haec **"quasi-determinatio"** ipsius creaturae liberae relate ad concursum Divinum iterum est impossi-

bilis **sine** illo concursu Divino, secus existeret aliqua saltem entitas, independenter a Deo, quod pugnaret tum contra absolutum Dei dominium tum contra abaleitatem ipsius creaturae. (Cf. celeberrimum adagium molinisticum: "Volitio libera creaturae natat in concursu, sicut piscis in aqua").

c) Sic oritur actus liber creaturae. Efficitur **totaliter** a concursu Divino (collato) et **totaliter** a libera electione creaturae, **non totalitate causae,** sed totalitate **effectus.** Porro hic concursus non est multiplex, sed **unus,** non indifferens, sed **determinatus,** non hypotheticus, sed **"absolutus";** i. e. hic concursus datur hic et nunc ad unum determinatum actum et quidem non jam conditionate, sed absolute.

Tota explicatio sententiae breviter complectitur his verbis:

In **primo signo** Deus offert suam omnipotentiam vel suum auxilium ad diversos actus (= concursus **"oblatus",** qui est multiplex, hypotheticus et indifferens).

In **secundo signo** ipsa creatura libera **eligit** unum ex illis actibus hic et nunc possibilibus sed non nisi Deo adjuvante vel cooperante vel concurrente (= concursus **"collatus",** qui proinde est unus, determinatus et absolutus); Qui concursus (collatus) requiritur per **totum** decursum electionis, ita ut electio libera **qua** libera fiat quidem ab ipsa **creatura,** sed **absolute** dependenter a Deo et quidem quoad **totam** entitatem actus. Sic actio libera provenit totaliter a Deo et totaliter a creatura, non totalitate causae, sed totalitate actus vel ipsius effectus.

Notandum: Quibus verbis clare habetur **differentia** inter Molinismum in sua forma extrema et moderata, sc.: Secundum formam **extremam** electio libera qua libera fit a **sola** creatura; secundum formam **moderatam,** licet fiat a creatura, tamen absolute dependenter a Deo secundum totam entitatem actus. Aliis verbis: Secundum sententiam moderatam creatura libera ad concursum ("collatum") eligendum eo ipso jam indiget hoc ipso concursu (collato); secundum sententiam extremam autem non indiget.

Quae differentia videtur tantum existere in explicatione philosophica. Nam in tractatu dogmatico generatim omnes molinistae inter se concordant, sc. ad cooperandum cum gratia intrinsece supernaturali creaturam eo ipso indigere ipsa gratia supernaturali, ut cum ipsa cooperari valeat.

Sensu theseos. 1) In prima parte reicimus sententiam ipsius Bañez. 2) In secunda parte ostendimus, sententiam S. Bellarmini vix salvare posse infinitam perfectionem praescientiae Dei, licet eius infallibilitas ut talis forte sustentari valeat. 3) in tertia parte probamus nostram sententiam, sc. explicationem ipsius Molinae, licet in aliqua forma moderata.

Pars. I. Deus futuribilia non cognoscit in suis decretis subiective determinantibus.

Argumentum. Illa sententia admitti nequit, quae creaturae libertatem destruit. **Atqui** sententia Bañeziana libertatem creaturae destruit. **Ergo** admitti nequit.

Ad min. Patet ex supra dictis. Nam secundum Bañez Deus positive et physice voluntatem creatam ad **unum** actum **praedeterminat** ita ut metaphysice repugnaret, ponere actum contrarium vel quemlibet alium actum volitivum, saltem hic et nunc. Atqui talis praemotio liberam electionem creaturae impedit. Nam 1) libertas consistit in **"indifferentia activa"** voluntatis, qua subiectum, positis omnibus ad agendum requisitis, potest actum **ponere** vel **omittere,** potest ponere **hunc** vel **illum** actum (cf. Froebes, Psych. specul. Cursus brevior, pg. 314). Atqui hoc est evidenter impossibile, si voluntas ad **unum** praedeterminatur. 2) Neque valet effugium, scilicet, Deum voluntatem ita determinare, ut ipsa libere sese determinet. Nam intrinsece determinari a Deo est idem ac "necessitari" (cf. Froebes, ib. pg. 306-308).

Pars II. Deus futuribilia non cognoscit in causis secundis.

Argumentum. Illa sententia admitti nequit, quae salvare nequit praescientiam Divinam ut infinite

perfectam. **Atqui** sententia S. Bellarmini praescientiam ut infinite perfectam salvare nequit. **Ergo** non admittenda.

Ad min. Utrum in sententia S. Doctoris salvari possit Dei praescientia ut infallibilis an non, de hoc breviter in corollario 2.°. In toto casu dicendum, secundum illam sententiam **non** posse salvari eandem Dei praescientiam ut **infinite perfectam.** Nam non sufficit, ut cognitio Divina sit infallibiliter certa, sed insuper requiritur, ut sit **infinite perfecta;** quod non valet nisi de cognitione **intuitiva.** Atqui in sententia S. Bellarmini cognitio Divina relate ad futuribilia certo non est intuitiva sed tantum discursiva. Nam cognoscere unum mediante alio est cognitio discursiva et non intuitiva. Ideo praescientia Divina relate ad futuribilia, utpote discursiva tantum, non est infinite perfecta secundum illam sententiam.

Pars III. Deus cognoscit futuribilia in se ipsis intentionaliter repraesentatis in sua essentia Divina.

Argumentum. Illa sententia est legitima, quae implet omnes conditiones requisitas; **atqui** sententia nostra videtur omnino implere omnes illas conditiones. **Ergo** erit sententia legitima.

Ad mai. De illis conditionibus requisitis locuti sumus in statu quaestionis sc. ut salventur: 1) Dominium Divinum, 2) praescientia ut infallibilis et infinite perfecta; 3) libertas creaturae, 4) sanctitas Divina et 5) justitia Divina. Aliud postulatum, sc. ut servetur mysterium, jam diximus, potius pertinere ad tractatum dogmaticum. Si quis adhuc alias conditiones afferret, tunc aeque bene implerentur in nostra explicatione. Ceteroquin dicendum, nos loqui tantum de illis, quae directe intrant in quaestione.

Ad min. Nostra sententia videtur omnino implere omnes illas conditiones.

1) Salvatur **dominium** Divinum. Nam electio libera qua talis, licet fiat ab ipsa creatura, tamen non nisi absolute **dependenter** a Deo et quidem quoad totam entitatem actus.

2) Salvatur **praescientia** Dei ut infallibilis et infinite perfecta. Nam Deus in suo concursu, utpote identico cum sua essentia, ab aeterno uno et simplicissimo actu, modo intuitivo et "comprehensivo" cognoscit omnia illa, quae in tempore cum illo infallibiliter conectuntur, respective conecterentur.

3) Salvatur **libertas** creaturae. Nam creatura non praedeterminatur a Deo ad unum, sed sese ipsam vere determinat, quae determinatio provenit ab illa indifferentia activa voluntatis, de qua supra locuti sumus.

4) Salvatur **sanctitas** Divina, cum Deus non concurrat cum ipsa malitia, uti patet, sed tantum cum ipso actu physico voluntatis, in quo ut tali sumpto, evidenter nulla consistit malitia, neque consistere potest, uti in aliqua thesi speciali probavimus.

5) Salvatur etiam **justitia** Divina, quando agitur de poenis infligendis, cum creatura in suis actibus liberis sit vere responsabilis.

Coroll. 1. (Ad partem I).

1) Sententiam Bañezianam peccare contra creaturae libertatem, in argumento sufficienter probatum est. Insuper dicendum, peccare logice etiam contra Dei **justitiam,** ubi agitur de poenis infligendis, cum de facto non jam possit esse sermo de libertate et consequenter non de responsabilitate.

2) Aliter sese habet cum **sanctitate.** Non pauci molinistate putant, illam sententiam etiam peccare contra sanctitatem. Ita v. gr. cogitat **Rast** (cf. pg. 167, n. 309, et pg. 208, n. 396.); et **Hontheim** ita arguit contra Bañez: "Si ille, qui sic ad actum physicum peccati impellit, non est auctor peccati, quis tandem auctor erit, cum ipsam malitiam qua talem nemo intendat? — Ergo ex Bannesianorum doctrina sequi videtur Deum esse auctorem peccati; id autem repugnat sanctitati Dei" (cf. Hontheim, theod., pg. 307). At **respondendum:** 1) Hontheim loquitur aut in suppositione propria aut in suppositione ipsius Bañez; atqui in utroque casu dici nequit, explicationem Bañezianam peccare eo ipso contra sanctitaem Dei. Nam a) in suppositione sua **propria** (quae est etiam nostra) non jam adest libertas creaturae, uti expresse probavimus, et consequenter nullum esset peccatum, cum

sine libertate peccatum sit absolute impossibile. Porro, si proinde nullum adest peccatum, nihil adest, quod sit vel esse possit contra Dei sanctitatem. b) Si autem loquitur in suppositione ipsius Bañez, qui energice salvare vult libertatem, tunc iterum non esset contra Dei sanctitatem, cum tota responsabilitas sit in creatura libere deficienti a sua bonitate hic et nunc debita. Ideo in utroque casu Deus nequit dici "auctor peccati". Proinde valet adagium: "Qui non est auctor malitiae et quidem sub nullo respectu, vocari nequit auctor peccati sub aliquo respectu". 2) Deinde etiam secundum nos Deus, licet non praedeterminet neque simpliciter determinet, tamen positive et physice concurrit ad ipsum actum physicum et quidem ita, ut actus secundum suam entitatem positivam proveniat non tantum totaliter a creatura, sed etiam totaliter a Deo, eo sensu, uti explicatum est. Tamen, propterea nemo dicit, neque dicere potest, nostram sententiam peccare contra Dei sanctitatem. 3) Sed "quis tandem auctor erit?" — **Resp.** Auctor erit semper et unice creatura inquantum **libere deficiens** a sua bonitate, etiam in sensu Bañeziano. Verum est, adversarium libertatem creaturae contra suam propriam bonam voluntatem destruere. Sed tunc creatura neque peccat, neque peccare potest et sic neque adest, quod peccare posset contra Dei sanctitatem, uti modo dictum est.

Coroll. 2. (Ad partem II.).

In parte secunda ostendimus, sententiam S. Bellarmini vix salvare posse infinitam perfectionem praescientiae Divinae relate ad futuribilia. Potestne forte salvare eandem praescientiam saltem ut **infallibilem ?** — Molinistae generatim omnes respondere solent negative, uti v. gr. Rast (cf. pg. 168, n. 310). At dicendum, hanc affirmationem Sancti Doctoris non simpliciter negandam esse. V. gr. si aliquis pater familias pauperrimus hodie acciperet elemosinam valde magnam, procul dubio maxime gauderet et quod certo scio, saltem certitudine morali. Atqui in casu supposito agitur de praescientia circa futuribile (nam supponitur, illum libere gaudere de elemosina). Sic in permultis casibus quotidianis cum morali certitudine praescire possumus libera sive absolute sive conditionate futura aliorum hominum, quos bene cognoscimus secun-

dum characterem, indolem, inclinationes, etc. — Deus autem omnes creaturas etiam liberas earumque inclinationes omnes et omnes circumstantias internas et externas cum infinita claritate et plane "comprehensive" perspicere valet. Ideo conclusio Sancti Bellarmini non apparet tam illegitima, uti multi putant. Sed contra ratiocinium S. Doctoris **Rast** ita arguit: "Ut causa aliqua sit medium obiectivum et infallibile pro cognitione sui effectus, effectus debet necessario et determinate ex causa fluere, seu debet esse nexus necessarius inter utrumque" (Rast, pg. 168, n. 310.). At dicendum, sufficere nexum "infallibilitatis", qui evidenter non est eo ipso identicus cum nexu "necessitatis". Si deberet esse nexus necessitatis inter utrumque, tunc v. gr. Deus non infallibiliter cognosceret effectus ad extra, cum ex parte causae (sc. Dei) non sit nexus necessitatis, sed nexus indifferens, licet absolute infallibilis. — **Nota:** Nolumus positive diecere, infallibilitatem praescientiae in illa sententia salvari. Altera ex parte volumus tamen ostendere, sententiam S. Bellarmini non carere ullo fundamento. Ceteras conditiones, uti dominium Divinum, sanctitatem et justitiam, libertatem creaturae, etc. optime servari in hac sententia, non indiget probatione.

Coroll. 3. (Ad partem III.).

Si quis diceret, sententiam nostram non salvare **"mysterium"**, tunc difficultas per se transmitti potest ad tractatum dogmaticum, uti jam notatum est. Si quis tamen insisteret, facillime solvi posset difficultas. Nam "mysterium" omnino manet, sc. 1) manet **obscuritas** relate ad simultaneitatem inter concursum Divinum et liberam electionem creaturae. 2) Alia difficultas est illa duplex causalitas, utraque totalis et immediata in suo ordine. Simile quid non invenitur in creaturis, ideo manet mysterium. Afferri solet quidem ut exemplum relatio inter causam principalem et instrumentalem in ipsis creaturis. Nihilominus est adhuc magna disparitas, quamvis sub aliquo respectu sit bona illustratio. 3) Finaliter manet mysterium, quomodo concursus entitative aeternus possit in tempore concurrere cum electione libera creaturae.

Schol. "De scientia Dei ut causa rerum". Scientia **practica** Dei, sc. adiuncta voluntate, est causa rerum ad instar ideae artificis, inquantum Deus creat res secundum suas ideas exemplares et omnia disponit gubernatque ad finem sibi propositum. — Scientia vero **speculativa** iam supponit earum veritatem, sicuti habetur relate ad actiones liberas hominum. Tamen Deus non fit dependens, cum res se habeant tantum ad modum conditionis et non ad modum causae. Cf. S. Th. I q. 14 a. 8; C. gent. 2, 24. — De ideis Divinis cf. S. th. I q. 15. (cf. Rast, pg. 170, n. 316.).

Obi. 1. Secundum Molinismum taleitas electionis provenit a sola creatura et sic ruit dominium Divinum.

Resp. Hoc valet de sua forma extrema, conc.; de forma moderata, quam nos defendimus, nego. Ideo nego cons.

Obi. 2. Inter concursum Divinum et actionem creaturae aut est nexus necessitatis, tunc ruit libertas creaturae; aut est nexus indifferens, tunc ruit infallibilitas praescientiae Divinae. Ergo explicatio est falsa.

Resp. Conc. primam partem antec. et nego secundam part. Nam potest esse nexus indifferens et tamen infallibilis, uti videbimus in thesi de libertate Dei. Ergo.

Obi. 3. Illa theoria de concurso oblato et collato est contra Dei simplicitatem absolutam. **Resp.** Nego, cum non sit compositio, sed tantum distinctio logica cum fundamento.

Obi. 4. Falso supponitur in Deo "prius et posterius". **Resp.** Dist.: supponitur prius et posterius temporale vel reale, nego; in signo rationis cum fundamento obiectivo, conc.

Obi. 5. Solutio nostra reddit Deum dependentem a creatura. Ergo peccat contra dominium Divinum absolutum.

Resp. Dist. antec.: dependet a decisione creata tamquam a conditione, conc.; tamquam a causa influente, nego. Ideo nego cons.

Obi. 6. Deus est ultima ratio outologica electionis creaturae. Ergo solutio ipsius Bañez est legitima.

Resp. Dist. antec.: este de facto ultima, conc.; est simul unica, nego.; ideo nego consequens.

Obi. 7. Secunda sententia videtur legitima, cum Deus in causis secundis futuribilia infallibiliter cognoscere valeat, et quidem modo intuitivo.

Resp. Nego, hoc esse possibile. **Insto.** Tunc neque in sua essentia Divina futuribilia intuitive videre posset. **Resp.** Nego cons., cum neganda sit paritas.

Assertum 1. Obiectum formale voluntatis Divinae est eius essentia.

Nota: Essentia Divina hic intelligitur ut totum esse Divinum, cum omnibus eius attributis.

Argumentum. Obiectum formale est id, quod propter se ipsum appetitur et propter quod omnia cetera obiecta appetuntur. **Atqui** Tale obiectum relate ad Dei voluntatem est ipse Deus, i. e. totum esse suum. **Ergo** est obiectum formale voluntatis Divinae.

Ad min. Nam 1) Si creatura esset obiectum formale Dei voluntatis, tunc esset ratio et causa volendi essentiam suam Divinam; porro, cum velle et esse in Deo sint idem, tunc esse Divinum esset determinatum immo et causatum a creatura, quod absolute repugnat. 2) Obiectum formale specificat actum; atqui, si creatura esset obiectum formale volitionis Divinae, tunc specificaret Dei voluntatem et consequenter ipsam essentiam Divinam, quod iterum absolute repugnat.

Assertum 2. Obiectum materiale voluntatis Divinae sunt omnia alia.

Nota: Obiectum materiale voluntatis est id, quod appetitur non propter sese, sed propter obiectum formale. In hoc asserto videbimus, omnia alia praeter se ipsum existentia Deum non velle nisi propter suam essentiam.

Argumentum. Obiectum materiale est id, quod appetitur non propter se, sed propter aliud, sc. obiectum formale. **Atqui** hoc valet de entibus creatis relate ad voluntatem Divinam. **Ergo** sunt obiecta materialia voluntatis Divinae.

Ad min. Nam omnia creata non sunt nisi bona "participata" essentiae Divinae, tamquem entis summe boni, ideo ad illam ordinantur. Atqui tunc appeti non debent; neque appeti possunt a Deo nisi dependenter ab essentia Divina, quae est obiectum formale.

THESIS 30. Deus in iis quae extra se agit, utitur libero arbitrio.

Nexus. In praecedentibus locuti sumus de cognitione Divina et dicimus, eam esse infinite perfectam et prorsus infallibilem etiam quoad libera, sive absolute sive conditionate futura. Non tantum probavimus ipsum factum, sed conati sumus explicare ipsum modum, saltem intra certos limites. Nunc erit quaestio de ipsa voluntate Divina ad extra et dicimus, eam nullo modo necessitari, sed omnino libere agere ad extra.

Notiones. I. **Definitio:** Libertas est (uti in th. 29. vidimus) facultas, qua positis omnibus ad actum necessariis, subiectum potest ponere actum vel omittere, potest ponere hunc vel illum actum. Sed

1) Evidens est, hanc definitionem pro Deo non eodem modo valere, uti pro creaturis, cum in Deo nullus fieri possit transitus de potentia in actum.

2) Evidens est, Deum non posse peccare, cum peccare-posse sit potius defectus libertatis. Quidquid proinde sit contra Dei sanctitatem vel contra ullum attributum Divinum, non potest esse obiectum libertatis Divinae.

3) Neque loquimur de Dei operatione intra-divina, sed tantum de operatione ad extra et dicimus: Quidquid non contradicit infinitae Dei perfectioni, Deus ad libitum causare vel efficere valet. Potest ad libitum creare vel non-creare, creare hoc vel illud; potest hoc vel illo modo dirigire res creatas, etc.

II. **Differentia inter libertatem Dei et creaturae:**

In **Deo** entitas volitionis liberae est ipsissima eius essentia ideoque absolute necessaria; sed terminus extrinsecus libere vel indifferenter, licet infallibiliter sequitur. Aliis verbis: Libertas Dei stat in indifferentia ipsius actus

infiniti (utpote identici cum eius essentia) ad varia obiecta, ideo in **dominio** applicandi **hunc unum actum infinitum** ad **varia** obiecta, ut sint aut non sint.

In creatura autem aliter sese habet, sc.: ipsa entitas actus vel volitionis liberae est indifferens, vel indifferenter ponitur et nullo modo necessarie. Nihilominus, illa entitate semel posita (licet **indifferenter**), **necessario** sequitur terminus extrinsecus, dummodo omnia adsint, quae ad actum extrinsecum requiruntur. **Aliis verbis:** Libertas creaturae stat in indifferentiae ipsius **potentiae** ad actum, ideo in dominio voluntatis potius hunc quam illum actum eliciendi.

Ideo in **creatura** datur **triplex** elementum, sc. 1) **facultas.** 2) **actus,** 3) **terminus;** inter facultatem et actum est nexus **indifferentiae;** inter actum et terminum autem nexus **necessitatis.**

In **Deo** autem datur tantum **duplex** elementum, sc. 1) **actus** (utpote absolute identicus cum potentia vel facultate) et 2) **terminus** (vel obiectum externum). Inter actum et terminum est nexus **indifferentiae;** sed tamen **infallibiliter** sequitur.

Adversarii. 1) **Pantheistae,** cum secundum illos Deus res necessario producat, i. e. ex intrinseca necessitate. 2) **Leibnizius,** qui putat, Deum sequi debere motivum melius. 3) **Rosmini,** secundum quem Deus saltem moraliter necessitatur ad creandum. 4) Libertatem Dei negaverunt etiam **Wicleff, Lutherus, Calvinus.**

Pars I. Libertas Divina in sua operatione ad extra probatur in genere.

Argumentum 1. Solum bonum absolutum necessitare potest voluntatem Dei. **Atqui** nullum ens creatum vel finitum est bonum absolutum. **Ergo** nullum ens finitum voluntatem necessitare valet ideoque Deus est liber ad extra.

Argumentum 2. (Idem alio modo)

Deus tantum in illo casu necessario ageret ad extra, si sibi ipsi non sufficeret. **Atqui** Deus sibi infinite sufficit, cum sit bonum summum et infinitum. **Ergo** Deus non necessario agit ad extra et est proinde liber.

Argumentum 3. (Ex aseitate, ex actu puro et ex plenitudine perfectionis).

Deus est ens a se, actus purus et plenitudo perfectionis; **atqui** si Deus necessitari posset a creatura, tunc neque esset a se, neque actus purus, neque plenitudo perfectionis; **ergo** nullo modo necessitari valet a creaturis, ideo est liber.

Ad min. 1) non esset ens **a se**; nam si necessitari posset a creatura, tunc esset dependens et sub hoc respectu ab alio, quod metaphysice repugnat in coceptu aseitatis;

2) non esset **actus purus**; nam necessitari posse ab alio supponit aliquam passivitatem. Atqui in actu puro talis prorsus repugnat. Ergo, si Deus a creatura necessitari posset, non jam esset actus purus;

3) non esset **plenitudo perfectionis.** Nam, uti vidimus supra, non nisi, bonum absolutum voluntatem necessitare valet. Si Deus ab alio ente a se distincto necessitari posset, tunc hoc aliud ens deberet de facto esse summum bonum et ipse Deus consequenter non esset summum bonum (vel plenitudo perfectionis), cum summum bonum non sit nisi unicum. Ergo, si Deus a creatura necessitari posset, non jam esset summum bonum vel plenitudo perfectionis.

Pars II. Deus est absolute liber etiam quoad leges physicas.

Definitio: Lex physica est regula, secundum quam entia naturalia agunt uniformiter et constanter; vel est "impulsus naturae necessitans ad constantem et uniformem modum agendi" (cf. Frank, Cosmologia, pg. 142). Ideo loquuntur de "constantia legum physicarum". Tales leges sunt v. gr. lex inertiae, lex attractionis, etc. — **Adversarii** sunt iterum pantheistae et monistae, etc.

Argumentum. Deus nullis contingentibus ligari potest (cf. P. I.). **Atqui** leges physicae sunt contingentes et contingenter insunt rebus contingentibus (cf. Frank ib. pg. 144-145). **Ergo** Deus legibus physicalibus ligari nequit.

Ad min. Nam leges physicae mutari possunt salvis principiis analyticis, quod evidenter non valet de legibus stricte metaphysicis.

Coroll. Quomodo **libertas** Divina conciliari valet cum Dei **immutabilitate, simplicitate** et **necessitate? Resp.** omnino conciliari potest et quidem ita:

1) Libertas conciliatur cum Dei **immutabilitate** mediante aeternitate. Deus enim ab aeterno vult illa omnia, quae in tempore fiunt et sic in volitione Divina nullus est transitus de potentia in actum et consequenter nulla prorsus mutatio. Sic libertas non contradicit immutabilitati.

2) Libertas conciliatur cum Dei **simplicitate.** Deus enim uno eodemque simplicissimo actu praestare valet, et quidem effectus diversissimos propter eius infinitam perfectionem. Creatura simile quid praestare non valet, sed pro singulis effectibus inter se diversis indiget etiam actibus correspondentibus inter se entitative diversis.

3) Libertas conciliatur cum Dei **necessitate.** Difficultas est haec: Ipsa volitio Divina est entitative absolute necessaria et terminative libera. Quomodo haec duo inter se conciliantur? **Resp.** Deus uno eodemque actu aeterno et simplicissimo potest velle v. gr. creaturam (A) et aeque bene posset ab aeterno non velle eandem creaturam (A), et quidem sine ulla alteratione vel differentia ex parte ipsius actus (cum sit eius essentia). Cur tale quid est possibile in Deo? **Resp.** Ultima solutio semper erit eius infinita perfectio; sc.: Deus propter suam infinitam **perfectionem** illud praestare potest et quidem **uno** solo actu simplicissimo et absolute necessario, sine ulla alteratione essentiae. Creatura autem, propter suam imperfectionem, pro diversis effectibus causandis indiget etiam actibus entitative diversis, uti supra jam notatum est.

Ideo **breviter:** Deus uno eodemque actu metaphysice necessario contradictoria velle potest, sine ulla alteratione essentiae, et quidem propter eius infinitam perfectionem.

Recte dicit **Rast:** "Actus liber est Deo plane intrinsecus, entitative cum eius actu volitivo et necessario, quo semetipsum amat, identicus, **potens tamen respicere vel non respicere terminum contingentem.** — Sic S. Thomas,

Scotus, Suarez et hodie omnes scholastici" (cf. Rast, pg. 178 n.° 333).

Schol. 1. Ex dictis plane sequitur, libertatem Divinam non esse meram denominationem extrinsecam. Altera ex parte non possumus clare intelligere ipsum modum. Scimus tantum, ita debere esse. Quare cum Suaresio dicendum, esse finaliter magnum mysterium. Quodt ita esse debet. Deus enim non esset Deus, si a nobis comprehendi posset. Ita tractatus noster erit optima schola humilitatis. Magis ac magis induci solemus ad nostram incredibilem imperfectionem melius et clarius cognoscendam et agnoscendam.

Si quis plura de his legere cupit, invenire potest apud **Urráburu,** vol. V. pg. 161-162; vel **Hontheim,** Phil. Lac., pg. 689-690; vel **Pesch,** Theol. Dogm. vol. II, pg. 166, schol.; vel **Mors,** De Deo Uno, pg. 147-152).

Schol. 2. Si Deus ad extra est absolute liber, et si altera ex parte est infinite bonus, cur Deus non creavit mundum "optimum"? — **Resp.** Est impossibile. Deus est enim infinite imitabilis ad extra. Omnis autem creatura necessario est finita. Ideo "optimismus" absolutus non tantum experientiae sed etiam rationi contradicit. Etiamsi mundus absolute optimus non repugnaret, Deus nihilominus esset liber ad illum creandum vel non-creandum vel ad creandum minus bonum. Deus enim creaturis nullo modo indiget. Insuper velle Divinum in se est infinite perfectum, sive vult magna, sive parva. Ex dictis etiam patet, Deum nullo modo obligari vel necessitari ad veniam concedendam peccatori. Ex fide quidem scimus, Deum hac in vita condonare velle; sed hoc fit tantum ex infinita eius liberalitate et misericordia. Potest proinde in singulis casibus concedere maiorem vel minorem gratiam prout vult, manente sempre eadem infinita eius bonitate et misericordia.

Obi. 1. Si effectus indifferenter sequitur, tunc non cum certitudine et sic ruit infallibilitas praescientiae et providentiae.

Resp. Dist. antec.: sequitur indifferenter et tamen infallibiliter, conc.; necessario, nego. Ideo nego cons.

Obi. 2. Deus ab aeterno omnia libere statuit. Ergo saltem nunc non jam est liber, (quia secus adesset mutatio in Deo).

Resp. Dist. antec.: illud decretum non jam existit, nego; ab aeterno in aeternum perdurat (inquantum identicum cum essentia), conc.; ideo nego cons.

Obi. 3. Sed Deus necessario dedit legem moralem; ergo non est liberrimus ad extra. **Resp.** Loquimur tantum de operatione ad extra. Lex moralis (metaphysice immutabilis) non est actio Divina sed norma tum pro sua propria actione, tum pro actione creaturae liberae. **Nota:** Si dicitur, legem moralem esse normam pro activitate Divina ad extra, nolumus dicere, hoc valere in eodem sensu, uti pro creaturis. Volumus tantum dicere, Deum non posse agere contra suas normas metaphysice necessarias, quia secus sibi contradiceret, quod est impossibile.

Obi. 4. Deus modo amat hominem, modo eundem odio habet; ergo mutatur.

Resp. Dist. antec.: ita ut tota mutatio fiat tantum in termino, conc.; in Deo, nego. Ideo nego cons.

Ad explic.: "Quia repugnat illas qualitates, sicuti sunt, in homine sensibili inveniri in uno eodemque actu, debent in Deo alio modo inesse. Actus infinitus Dei potest utrumque praestare, ita ut tota mutatio sit tantum ex parte termini, qui modo est amore dignus, modo odio. Forsan dici potest, actum amoris spiritualis in se includere odium obiecti contrarii, ita ut dependeat tantum ab obiecto, quomodo ille actus nominetur" (Rast, pg. 180-181 n.° 339).

Obi. 5. Virtus, quae est ad utrumque, est in potentia; atqui voluntas Divina nequit esse in potentia; ergo.

Resp. Dist. mai.: si est ad utrumque ex parte actus ponendi, conc.; si tantum ex parte obiecti voliti attingendi, nego. Conc. min.; par, dist. cons.: voluntas Divina non est ad utrumque ex parte actus, conc.; ex parte obecti, nego.

Obi. 6. Quod alterutrum eligit, erat antea in potentia ad utrumque; atqui tale est mutabile; ergo.

Resp. Dist. mai.: si eligit per novum actum, conc.; si sine novo actu, sed uno solo actu ab aeterno, nego. Contradist. min. et nego cons.

Assertum 1. Deo convenit potentia operandi ad extra.

Nexus. In thesi praecedenti ostendimus liberam Dei volitionem ad extra. Nunc erit breviter probandum, Deum de facto exsequi posse hanc suam voluntatem liberam ad extra, i. e. ei convenire potentiam operandi ad extra.

Notiones. Duplex datur operatio, sc. immanens et transiens.

1) Operatio **immanens** adest, si omnia manent in ipso principio agendi, uti v. gr. volitio, intellectio, affectio, etc.

2) Operatio **transiens** adest, si effectus operationis non manet in subiecto agente, v. gr. actio et reactio mutua inter moleculas, etc. — Porro actio transiens potest esse formaliter vel virtualiter transiens;

a) **formaliter** transiens, si subiectum agens per illam activitatem saltem aliquo modo modificatur vel mutatur; v. gr. illa activitate mutua inter moleculas quaelibet molecula saltem aliquo modo mutatur vel modificatur;

b) **virtualiter** transiens, si subiectum agens nullo modo alteratur vel nullo modo mutatur. De qua operatione virtualiter transeunte erit sermo in asserto.

Sensus asserti. 1) Loquimur de operatione Divina non immanenti sed tantum transeunti. 2) Quae operatio Divina est **formaliter** semper immanens et tantum **virtualiter** transiens. Est ipsissima voluntas Divina, inquantum est principium executivum; i.e. actus entitative manet in ipso Deo, sed habet **virtutem** efficacem ut terminus extrinsecus sequatur. Quod valet tantum de Deo, iterum propter eius infinitam perfectionem; i.e. activitas Divina est tam perfecta, ut ei correspondeat "terminus extrinsecus" prout ipse vult, quin ipse in se mutetur.

Argumentum 1. Deo omnis perfectio simplex convenit et quidem formaliter. **Atqui** Posse quid efficere secundum suam rationem formalem est perfectio simplex (cf. Hontheim, theod. pg. 275. Arg. 2). **Ergo** Deo convenit potentia efficiendi vel operandi ad extra.

Argumentum 2. Deus est actus purus; **atqui** quidquid est in actu, secundum hoc potest esse principium activum aliorum; (c. ib. Arg. 3); **ergo** Deo maxime competit esse principium activum aliorum sive habere potentiam operandi ad extra.

Coroll. Uti jam dictum est, illa operatio Divina ad extra manet formaliter immanens et est tantum virtualiter transiens. Nihilominus **non** est **mera** denominatio extrinseca sed est vera vitalitas Divina; scilicet ille respectus Divinus ad extra est **"respectus rationis vitalis"**, licet sit respectus prorsus sui generis. Aliter sese habet in creaturis, in quibus actio transiens est formaliter transiens, i.e. subiectum tali activitate modificatur.

Assertum. 2. Deus est omnipotens.

Sensus asserti: Vult dici 1) Deum posse facere omnia illa, quae de facto vult. 2) Sed potest etiam facere omnia illa, quae quidem non vult, sed quae de facto non repugnant ipsi essentiae Divinae.

Argumentum 1. Potentia operativa Divina est entitative identica cum eius essentia; **atqui** essentia Divina est infinita; **ergo** etiam eius potentia operativa erit infinita ideoque Deus est omnipotens.

Argumentum 2. (Idem aliter) Essentia Divina est causa exemplaris omnium possibilium, ideo ad omnia possibilia sese extendit. **Atqui** potentia Divina operativa est identica cum essentia Divina. **Ergo** potentia Divina sese extendere debet ad omne illud, quod est intrinsece possibile ideoque Deus est omnipotens.

Coroll. 1) Possibilia recte dicuntur "termini" **imitabilitatis** essentiae Divinae; 2) entia actualia autem dicuntur "termini" **imitationis** eiusdem essentiae.

Schol. Sunt, qui specialem thesin ponunt, sc. probant, Deum creare posse; (cf. Hontheim, pg. 279-280). At dicendum, non esse tanti momenti, cum in sequenti thesi explicite probetur, Deum de facto creasse.

PARS V

DE ORIGINE RERUM A DEO

Praenotanda.

In parte quarta locuti sumus de attributis operationis Divinae, scilicet de eius cognitione et volitione, et in fine eiusdem partis breviter ostendimus, ei convenire potentiam operandi ad extra. Erit nunc quaestio de **modo,** quo Deus ad extra operatur. Aliis verbis, ostendendum erit: 1) Quomodo mundus ortus est? 2) Quaenan est finalitas, quam Deus habuit in hac sua operatione ad extra? 3) Quomodo entia mundana conservantur in esse et quidnam requiritur ex parte Dei, ut agere vel operari possint? 4) Finaliter perpauca dicenda erunt de modo, quo Deus omnia ad finem dirigit, sc. de providentia Divina.

Quibus praesuppositis incipiamus cum thesibus de creatione; sc. probandum erit, omnia a Deo creata esse et quidem ab eoque solo. Postea breviter ostendimus creationem ab aeterno repugnare videri.

THESIS 31. Quidquid praeter Deum existit, a Deo creatum est.

Nexus. Quaestio est de ortu rerum omnium a Deo, et quidem non de solo facto, quod jam aliunde luculenter constat, uti v. gr. argumento cosmologico, sed sermo erit praecise de modo, quo entia **orta** sint et dicimus, ea non orta esse emanatione qualicumque modo intellecta, sed tantum creatione.

Notiones. Creatio diversis modis sumi solet in locutione humana, scilicet:

1) In **genere**; a) sensu **latissimo** est quaelibet productio alicuius rei, v. gr. constructio domus, compositio horologii, etc.;

b) sensu **minus lato** est destinatio ad aliquod officium eximium, v. gr. ad cardinalatum, ad episcopatum, etc.; vel sumitur ut productio alicuius rei eximiae, v. alicuius imaginis artificiosae, etc.;

2) in **specie**; (=sensu strictissimo) est productio rei ex nihilo sui et subiecti. Explico: a) **"ex nihilo sui"** significat novitatem formae, quae novitas invenitur in omni productione. V. gr. si artifex ex marmore facit statum B. Virginis Mariae, tunc habetur productio rei ex nihilo sui; b) **"ex nihilo sui et subiecti"** non tantum significat novitatem formae, sed negat quamcumque causam materialem, ex qua vel dependenter a qua fieret res. Proinde antea prorsus nihil aderat, quod est elementum principale definitionis. Sic v. gr. si Deus infundit animam immortalem in generatione hominis, tunc antea prorsus nihil aderat ipsius animae.

Aliae definitiones: 1) "Creatio est adductio rei a non-esse ad esse". Vel 2) "productio entis inquantum est ens" (Rast, pg. 183 n.° 344); vel 3) "productio rei secundum totam suam substantian" (ib.). At quoad ultimam definitionem dicendum, eam non esse stricte universalem. Nam ex fide scimus, in SS.ª Eucharistia, sc. consecratione peracta, remanere accidentia panis et vini eaque conservari immediate a Deo. Porro, si Deus ea conservare potest, posset ea evidenter etiam creare separatim a correspondenti substantia et esset vera creatio, sensu strictissimo sumpta. Sed in tali casu illa ultima definitio non posset applicari et propterea eam potius omittimus, quamvis non raro ponatur ab auctoribus, praesertim modernis.

Adversarii. 1) Systemata philosophica et religiosa **gentilium.** Tota philosophia gentilis verum conceptum creationis non novit. Quod valet etiam de **Platone** immo, et de **Aristotele**, quamvis hi existentiam Dei ut a mundo distincti admiserint. Secundum mythologias antiquorum mundus necnon dii per seipsos oriuntur. Fortasse Persae veram creationem ex nihilo docuerunt. 2) **Duali-**

stae, qui admittunt duo principia suprema, sc. supremum bonum et summum malum. Ideo secundum illos saltem principium malum non esset creatum a Deo, (cf. variae sectae gnosticae, Manichaei, Albigenses, etc.). 3) **Monismus,** qui negat ens mundo superius, quod mundi sit auctor. Distinguitur monismus materialisticus et pantheisticus. **Pantheistae** omnia Deum esse affirmant et dicunt, entia mundana orta esse per emanationem ex substantia Divina. 4) **Agnosticismus** affirmat, mundi creationem non cum certudine cognosci posse. 5) **Modernistae** affirmant, theoriam de creatione pugnare contra progressum scientiae modernae (cf. Mors, vol. II. pg. 14). 6) Secundum **Kant** conceptus creationis destrueret constantiam substantiae et sic durationem et omnem experientiam. 7) Secundum **Bergson** problema creationis est pseudo-problema, cum supponat conceptum ipsius nihili absoluti (cf. Rast, pg. 184 n.° 345).

Sensus theseos. 1) Agitur de prima origine mundi. Non intramus in quaestionem de evolutione cosmica universi. Proinde evidenter nolumus v. gr. dicere, corpus humanum immediate creatum esse; a fortiori non dicitur, opera artificialia ut talia a Deo creata esse. 2) Nondum agitur in thesi, utrum omnia **immediate** a Deo creata sint an per alia, quibus Deus facultatem creandi forte communicaverit. 3) Loquimur de toto universo, sc. de omnibus entibus praeter Deum existentibus, et quidem primarie de substantiis sed in secundo loco eiam de **accidentibus,** saltem de illis, quae Deus separatim a substantia conservare et proinde separatim creare posset.

Argumentum. Quidquid praeter Deum existit a Deo creatum est, si omnia praeter Deum existentia facta sunt ex nihilo sui et subiecti; **atqui;** omnia praeter Deum existentia facta sunt ex nihilo sui et subiecti; **ergo** creata sunt et quidem a Deo, saltem ultimatim.

Ad mai. Nam, si constat, omnia facta esse ex nihilo sui et subiecti, tunc non tantum probatum est, esse creata, sed esse creata **a Deo,** saltem ultimatim.

Ad min. Nam ex variis thesibus, praesertim ex thesi de **unicitate** Dei elucet, **unum** tantum existere ens **"a se"** et omnia esse **"ab alio"**, i. e. saltem ultimatim a Deo. Atqui

hoc fit aut creatione aut emanatione; atqui certo non emanatione, cum emanatio prorsus pugnet contra infinitam Dei simplicitatem. Ideo nihil remanet, nisi origo omnium rerum a Deo mediante creatione.

Coroll. Creatio dividi solet in activam et passivam. Creatio 1) **active** spetata est ipsa Dei operatio; 2) **passive** spectata est ipsa res creata.

Obi. 1. Disjunctio in argumento non est completa, cum praeter creationem et emanationem detur etian evolutio.

Resp. Quaecumque alia forma originis (praeter creationem) de facto reducitur ad emanationem. Explicatio utique potest esse alia et alia, sed semper emanatistica, uti vidimus in thesi de pantheismo.

Obi. 2. Scientia creationem ignorat. Ergo nequit admitti.

Resp. Dist. antec.: scientia empirica, conc.; philosophica, nego; par. dist. cons.: ergo creatio non est factum empiricum, conc.; non factum philosophicum, nego.

Obi. 3. Ex nihilo nihil fit; ergo creatio repugnat. **Resp.** Dist. antec.: si non adest correspondens causa efficiens, conc.: si adest, nego. Ergo. etc.

THESIS 32. Omnia a solo Deo creata sunt.

Nexus. Omnia, saltem ultimatim a Deo creata esse, modo probatum est in thesi praecedenti. Nunc oritur quaestio, utrum Deus forte alicui creaturae dare posset potestatem, creandi aliquam creaturam inferiorem, an non ? (**Nota:** semper supponitur concursus Divinus, uti patet). Respondendum erit negative.

Notiones. Breviter explicandum erit, quid sit causa principalis et quid causa instrumentalis. Non datur alia causalitas, quae hic in quaestione venire posset.

1) Causa **principalis** est illa, quae agit ex **propria determinatione;** (sive independenter ab alia superiori, uti causa principalis primaria, quae est solus Deus, sive de-

pendenter a causa primaria, uti quaelibet causa principalis secundaria, vel creata).

2) Causa **instrumentalis** est illa, quae **non** agit neque agere potest ex **propria** determinatione sed tantum ex determinatione causae principalis; aliis verbis: causa instrumentalis agit tantum **"virtute derivata a causa principali"** (cf. Hurter, Medulla theol. dogm., pg. 562, n. 980. Nota). Sed nihilominus debet vere et physice influere, secus non esset vera causalitas **physica**, de qua unice est quaestio.

Adversarii. 1) Creaturam posse esse, immo et fuisse causam principalem creationis docebant **Ariani**, secundum quos **"Verbum"** nihlil esset nisi prima et suprema creatura. 2) **Avicenna** putavit, angelos vel "primas intelligentias" creasse animas. 3) Secundum **Frohschammer** (1821-1893) parentes crearent animas infantium (cf. Stöckl, Gesch. d. Phil., pg. 368). 4) Alii, uti Durandus, Gabriel Biel et Arriaga, negant quidem factum sed saltem possibilitatem admittunt (cf. Rast, pg. 188, n. 355). 5) Creaturam posse esse saltem causam **"instrumentalem** docent **Petrus Lombardus, S. Thomas iunior,** Tanner et alii (ib.).

Nobiscum sentiunt: S. Thomas senior, Thomistae, S. Albertus Magnus, Vasquez, Molina et multi alii. **Suaresius** quidem cum aliis putat, thesim ut talem non constare posse nisi ex fide.

Sensus theseos. 1) Creaturam non posse aliquid creare independenter a concursu Divino, est a priori evidens et non indiget speciali probatione. 2) Aeque evidens est, nullam creaturam creare posse entia superiora semetipsa. Sed 3) quaestio est, utrum saltem creaturae supremae possent creare entia valde imperfecta et infima ? Respondendum erit negative.

Vis argumentationis consistit in hoc, sc.: nulla creatura potest creare, et proinde **omnia a solo Deo creata sunt,** si creatura non potest esse neque causa **principalis,** neque **instrumentalis** (physica); atqui non potest esse neque causa principalis, neque instrumentalis. Ergo nulla creatura de facto potest creare et sic omnia a solo Deo creata sunt. Thesis habet propterea duas partes, uti statim videbimus:

Pars I. Nulla creatura potest esse causa principalis creationis.

Argumentum 1. Ens, ut possit creare aliud, i. e. illud producere ex nihilo sui et subiecti, debet esse ratio vere **sufficiens** alterius; atqui nulla creatura potest esse ratio sufficiens alterius entis; **ergo** nulla creatura creare potest.

Ad min. Nam nulla creatura potest esse ratio sufficiens **sui ipsius.** Quod est metaphysice impossibile, ita ut ne Deus quidem posset facere, ut creatura fieret ratio sufficiens sui ipsius. Atqui tunc a pari immo a fortiori creatura non potest esse ratio sufficiens alterius, ne per miraculum quidem, i. e. nequidem per concursum extraordinarium Divinum.

Argumentum 2. Creatura tantum in illo casu creare posset, si Deus ei communicare posset suam vim creativam; **atqui** suam vim creativam Deus creaturae communicare nequit; **ergo** creatura creare nequit (sc. ut causa principalis secundaria).

Ad min. Nam potentia creativa est entitative identica cum **essentia** Divina. Atqui Deus essentiam suam creaturae communicare nequit; ergo nequit ei communicare suam vim creativam. **Nota:** Posset quis dicere, secundum theologiam dogmaticam justum per gratiam sanctificantem fieri consortem Divinae naturae (cf. Mors, vol. IV. pg. 79, n. 105.); ergo saltem supernaturaliter Deus suam essentiam communicare valet creaturae ? — At dicendum, creaturam numquam identificari posse cum essentia Divina, quantumvis sublime et intimum sit tale consortium. Nihilominus, ut creatura posset creare, Deus sese, i. e. suam propriam essentiam communicare deberet non tantum per assimilationem sed per **identitatem,** quod metaphysice repugnat. Ideoque metaphysice repugnat, Deum communicare suam vim creativam alicui creaturae. Quare minor omnino probata est.

Pars II. Nulla creatura potest esse causa instrumentalis creationis.

Argumentum. Creatio fit solo actu volitivo; ideoque

est actio tantum virtualiter transiens et sic non datur medium inter actum creativum et effectum; **atqui** ubi non est medium inter actum et suum correspondentem effectum, non potest applicari instrumentum; **ergo** impossibilis est causalitas instrumentalis in creatione et sic repugnat, creaturam esse causam instrumentalem creationis.

Coroll. 1. (ad partem primam).

Alii, probando, nullam creaturam posse esse causam principalem creationis. sequentem rationem afferre solent, sc.: Obiectum formale creationis est ens ut tale vel ipsa entitas. Atqui hoc supponit virtutem infinitam; ergo nulla creatura, utpote finita, potest esse causa principalis creationis. (cf. Rast, p. 189, art. 1). Ad hoc dicendum, esse omnino verum. Sed **cur** requiritur virtus infinita ad producendum ens ut tale ? — Quod ultimum erit elementum principale, quod tamen non videtur plene solvi in illo argumento. Nihilominus praecise hoc debet solvi et de facto solvi videtur nostro argumento (sive argumento primo sive secundo).

Rast affert aliud argumentum, sc. probando, nullam creaturam posse agere secundum **totam substantiam** et proinde creare non posse (cf. pg. 190, n. 367. Arg. 2.).

At dicendum, esse forte optimum argumentum ubi agitur de creatione substantiae. Sed, uti jam vidimus, posset quis dicere, creaturam fortasse creare posse accidentia, v. gr. species vel accidentia panis et vini. Etiam hoc negandum est in nostra thesi. Sed in hoc ultimo casu illud argumentum (Rast, pg. 190) non probat, uti patet.

Coroll. 2. (ad partem secundam).

Creaturam non posse esse causam instrumentalem creationis, elucet etiam ex eo, quod ratio entis qua entis sit in indivisibili (cf. Rast. pg. 190, n. 358.).

Obi 1. In creatione effectus semper est finitus; atqui ad effectum finitum causandum sufficit causa finita; ergo etiam creatura creare potest.

Resp. Dist mai.: ipse effectus terminative sumptus semper est quid finitum, conc.; ipsa effectio entitative sumpta, nego; contradist. min.: sufficit causa finita, si effectio et terminative et entitative est finita, conc.; si

tantum terminative finita et entitative infinita, nego. Ideo nego cons.

Obi. 2. Cooperante Deo possumus producere actus volitivos, etc., et quidem ex nihilo sui et subiecti; ergo a pari accidentia corporea (uti v. gr. species panis et vini).

Resp. Ad antec.: nego hanc activitatem vocari posse creativam sensu proprio, cum agatur de actibus vitalibus, qui evidenter manent in subiecto. In creatione autem effectus ponitur extra causam efficientem. Ideo nego cons.

THESIS 33. Creatio ab aeterno videtur omnino impossibilis.

Nexus. Deum ab aeterno creare **posse**, est evidens et nulla indiget probatione. Multi putant, ex hoc immediate sequi, "**factum creativum**" aeque bene ab aeterno fieri posse. Tamen non ita esse, ostendendum erit in thesi nostra.

Notiones. Hac in thesi bene considerandi sunt conceptus **aeternitatis, temporis** vel temporalitatis, **mutationis** et **creationis.** Cum tamen ex aliis thesibus jam tractatis sint noti, sufficit breviter notare hoc:

1) **Aeternitas** nullum admittit successionem neque continuam neque instantaneam. Ex quo sequitur, nullam fieri posse mutationem in ente stricte aeterno, et quidem neque mutationem "propriam" neque "impropriam".

2) **Tempus** e contra ex suo conceptu metaphysico involvit successionem quandocativam sive continuam sive saltem instantaneam. Ideoque

3) adest semper **mutatio** in hoc casu, sive successiva, sive instantanea (cf. Frank, Cosmol., pg. 67). Ex quo immediate sequitur,

4) ipsam **creationem** esse omnino **veram mutationem,** cum sit transitus rei de potentia pura ad statum actualem. Verum est, hanc mutationem ab auctoribus vocari "impropriam", cum terminus a quo non sit realitas physica, sed metaphysica tantum, uti vidimus in thesi de immutabilitate Dei. Nihilominus creatio manet vera mutatio, uti modo dictum est, cum ad veram mutationem requiratur et sufficiat, ut sit verus rei transitus de potentia

ad actum; utrum ille transitus fiat modo successivo (vel "continuo") an modo instantaneo, est quaestio prorsus accidentalis, de qua omnino nihil pendet in nostro casu.

Quae modo dicta sunt, in tota thesi sunt summi momenti et in argumentatione bene retinenda erunt.

Sententiae. 1) Creationem aeternam **possibilem** esse affirmant: Moses Maimonides, multi Thomistae, Scotistae, Suarez, Vasquez, Molina et multi scholastici recentes Etiam Rast putat, creationem aeternam non esse impossibilem (cf. theod. pg. 191-195).

2) **S. Thomas** autem "nullibi affirmat positive possibilitatem aeternae creationis, sed tantum dicit impossibilitatem plena certitudine demonstrari non posse" (cf. Mors, vol. II. pg. 38, n. 49.).

3) Creationem aeternam esse **impossibilem** tenent: plures SS. Patres, Sanctus **Bonaventura,** Henricus Gandavensis, Toletus, Leonardus Lessius, Petavius et multi alii, etiam non pauci scholastici moderni. (Cf. Mors, ib. et Rast, pg. 192).

Nostra sententia etiam **Sancto Alberto Magno** magis placet quam opposita, cum dicat: "Absque dubio nihil probabilius etiam secundum rationem est, quam quod mundus inceperit" (Sum theol. 2, d. 1, a. 10). — **S. Bonaventura** vero scribit: "Ponere mundum aeternum esse sive aeternaliter productum... omnino est contra veritatem et rationem, sicut ultima ratio probat (nempe quia quod habet esse post non esse, non potest esse aeternum); et adeo contra rationem, ut nullum philosophorum quantumcumque parvi intellectus crediderim hoc proposuisse" (In 2, dist. 1, a. 1, q. 2). Cf. **Mors** (vol. II. pg. 38).

Pesch C. quidem putat, melius esse "fateri nostram ignorantiam et cum S. Thoma dicere abstinendum esse ab omni conatu probationis" (ib.).

At dicendum: 1) Ex supra dictis constat, S. Thomam non negare omnem cognoscibilitatem hac in re. 2) Ex verbis **Doctoris Seraphici** autem elucet, investigationem nostram omnino non esse inutilem.

Sensus theseos. 1) Dicimus, creationem aeternam repugnare videri et quidem ex ipsis conceptibus tum aeternitatis, tum mutationis tum creationis. 2) Cum Sancto

Bonaventura opinamur, argumenta nostra non esse tantum probabilia, sed omnino stringentia, dummodo singulis conceptibus uti aeternitati, mutationi, creationi, etc. semper attribuatur sua significatio legitima et stricte philosophica.

Argumentum 1. In creatione fit transitus rei de sua potentia pura in actum. **Atqui** talis transitus fieri nequit nisi in **quandocationibus diversis,** quod est idem ac fieri in tempore. **Ergo** creatio actualis fieri nequit ab aeterno.

Ad min. Nam 1) fieri in quandocationibus **diversis,** est plane evidens, cum id, quod antea nondum actu adfuit, postea incipiat actu existere, sc. illo momento, quo Deus vult; 2) esse veram **successionem** aeque clare constat. Utique, in qualicumque productione, quam nos causamus, quam instantanea. In creatione autem est successio **inaderit** semper successio "successiva" vel continua et num**stantanea,** quae tamen ex suo conceptu metaphysico manet vera successio, uti patet. 3) Successionem quandocativam esse idem ac tempus, jam scimus ex cosmologia.

Argumentum 2. (Idem aliter)

Ens creatum est idem ac ens **productum** ex nihilo sui et subiecti; **atqui** omne ens productum ex suo conceptu aliquando coepit; **ergo** ens creatum ex suo conceptu habet initium et proinde non potest esse ab aeterno.

Ad min. Est evidens. Nam id, quod numquam coepit, non potest vocari ens productum, cum productio vel effectio ex suo conceptu involvat **transitum** de uno statu ad alium, i. e. de statu **potentiali** ad **actualem.** Utrum fuerit antea status pure potentialis an non, iterum non est quaestio essentialis in casu.

Argumentum 3. Ex thesi de Dei aeternitate constat, aeternitatem esse attributum exclusive Divinum; **atqui** si creatio ab aeterno et consequenter creatura aeterna esset possibilis, tunc aeternitas non esset attributum exclusive Divinum; **ergo** creatio ab aeterno repugnat.

Argumentum 4. Deus non potest creare ens stricte infinitum; **atqui** tunc a pari non potest creare ens aeternum; **ergo** creatio ab aeterno repugnat.

Ad min. Nam infinitas et aeternitas sunt aequaliter attributa Divina. Deinde dicendum: Sicut infinitas opponitur rerum contingentiae, ita aeternitas, earum temporalitati immo et mutabilitati opponitur.

Coroll. 1. Thesis nostra optime confirmatur illis, quae dicit **Hontheim** in suo argumento chronogonico, scilicet: "Existunt res mutabiles et quae mutantur. Atqui res mutabiles vel successio rerum mutabilium non potest esse ab aeterno, sed omnis rerum mutabilium successio et universitas initium sumpsit ex tempore. ...Ergo... Prob. min. (Successio rerum mutabilium non potest esse ab aeterno). Res mutabilis (vel successio rerum mutabilium) ab aeterno durans iam nunc infinite multas mutationes subiisset vel saltem subire potuit, easque certis intervallis finitis distantes; potuit enim v. gr. singulis diebus mutatio fieri, et sic per aeternum tempus numerus harum mutationum factus esset infinitus. Atqui omnino repugnat neque fieri potuit, ut infinite multae mutationes successivae certis intervallis finitis distantes locum umquam habuerint. Ergo res mutabilis vel successio rerum mutabilium non potest esse ab aeterno..." (cf. Hontheim, theod., p. 72-73).

"Ergo nullum ens finitum, quia (ab alio ideoque) mutabile est, ab aeterno existere potest. Quemadmodum repugnat ullum ens finitum visurum esse aeternitatis finem et exitum, ita etiam repugnat ullum ens finitum vidisse aeternitatis initium. Duratio entis finiti, in quantum ipsa actu est, semper initium habet; habet etiam semper finem, quia est instans praesens (quod per decursum temporis longius et longius differtur). Duratio igitur entis finiti est quasi nihil in comparatione aeternitatis, quae ante illud et post illud infinite excurrit; est velut punctum in linea recta, quae in utramque partem infinite extenditur. Etiam duratio beatorum, qui in sempiternum vivunt, semper in quantum actus est, tale punctum erit in comparatione aeternitatis" (ib. p. 77).

"Valor argumenti chronogonici commendatur etiam auctoritate ss. Patrum. **Petavius** (De theol. dogm., de Deo III, 6) ostendit, ss. Patres, si quando hanc quaestionem tetigerunt, semper cursum mundi aeternum tamquam **apertam stultitiam** condemnasse. Theologi quidam posteriores

haec testimonia distinctionibus suis enervare studuerunt. Eorum tamen subtilitates nobis videntur a mente ss. Patrum alienae" (ib.).

"Hodie, ni fallor, in scholis catholicis praevalet, idque in dies magis et magis, sententia, quae tenet in quaestione nostra nihil ssse distinguendum inter angelos et corpora, ita ut, si repugnat mundum corporeum esse ab aeterno, similiter **repugnet angelum esse ab aeterno.** Item, ni fallor, magis vincit sententia, quae tenet, **mundum corporeum non posse esse ab aeterno,** si infinite multi homines non possunt simul existere, i. e. si multitudo rerum presse infinita existere non potest. Denique, ni fallor, multum praevalet sententia, quae cum **S. Thoma** tenet infinite multos homines non posse simul existere. Quae tria si simul consideras, intelligis, scholas catholicas magis et magis vim argumenti chronogonici agnoscere" (ib., p. 77-78).

"S. Thomas docuit, infinite multos homines non posse simul existere; id nobis satis est. Quid de possibilitate mundi vel angeli aeterni tandem tamquam omnino certum tenuerit, non inquirimus. Minime tamen nobis persuasum est, s. Doctorem tamquam veritatem absolute certam tenuisse scholas catholicas numquam inventuras esse argumenta, quibus impossibilitas creaturae aeternae invicte demonstretur". (Cf. ib., p. 78). — Qui textus prorsus sufficiunt ad sententiam nostram confirmandam. Nihilominus perpauca ex expositionibus Leonardi Lessii addere volumus, ut sic valor theseos nostrae saltem extrinsece crescat.

Coroll. 2. Sententia nostra confirmatur auctoritate **Lessii,** qui suam sententiam confirmat auctoritate **ss. Patrum.** In capitulo secundo libri quarti probat, **"aeternitatem soli Deo proprie convenire"** et dicit:

"Ex his, quae capite superiore dicta sunt, consequens est, soli Deo competere proprie aeternitatem. **Primo,** quia **solus initio caret durationis,** solus numquam incepit, solus omne tempus et intervallum durationis occupat et ambit... (cf. Lessius, de perfectionibus moribusque Divinis, L. 4, c. 2, n. 6).

"Omnis vero **cratura initium habet, quia non ex** substantia Dei, sed **ex nihilo** est. Imo, secundum sanctorum Patrum sententiam, nec aeterna retro esse potest. Docent enim, creaturam suo Conditori non posse esse coaeternam.

S. Augustinus, lib XII. De civitate cap. XV.: Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in praeteritum transeunt, et ideo Creatori coaeterni esse non possunt.

Fulgentius, lib. De fide ad Petrum, cap. III.: Hic Deus qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint, non tamen sine initio; quia nulla creatura eiusdem naturae est, cuius est Trinitas unus Deus, a quo creata sunt omnia. Hic indicat, **creaturam non posse carere initio** durationis, quia non est naturae Divinae, sed ex nihilo.

S. Ambrosius, lib. VI. Hexaëmeron, cap. I.: Quid tam inconveniens, quam ut aeternitatem operis cum Dei omnipotentis conjungeret aeternitate ?

S. Basilius, lib. II. contra Eunomium, pag. 8.: Nos autem aeternitatem creaturis tribuere, et Creatorem hac confessione privare, eiusdem amentiae dicimus". (Cf. ib., n. 8).

"Denique, sicut creaturae repugnat immensitas, per quam coextendatur omnibus spatiis locorum, cur non etiam aeternitas, per quam omnibus spatiis temporum ? quia par est ratio; immo hoc videtur conceptu difficilius. Nec obstat, quod Deus ab aeterno habuerit omnem suam potentiam, et potuerit habere voluntatem illam liberam creandi; ubi autem adest potestas et voluntas, ibi quoque sit effectus. Nam simili modo in omni parte spatii per totam immensitatem locorum adest illi sua omnipotentia et voluntas libera, et tamen non potest creari aliqua creatura, quae totum illud immensum impleat. Causa est, quia id repugnat creaturae creatae. Recte tamen convincit illud argumentum, in quovis momento temporis imaginarii quantumvis hinc retrorsum distante, potuisse fieri creaturam, et ante; sicut in quovis puncto loci imaginarii potest fieri, et ulterius. Et hoc sufficit, ad ipsius omnipotentiam immensam et aeternam asserendam.

Secundo illi soli competit proprie aeternitas, quia solus ex se vitam habet interminabilem. Omnis creatura ex se potest desinere et in nihilum evanescere; tota ipsius **duratio assidue ex Deo pendet**... —

Tertio, quia solus totam vitam simul possidet; **in creaturis non est tota simul.** Etsi enim in Angelis, Sanctis et Beatis visio beatifica et fruitio tota sinul sint, alii tamen actus intellectus et voluntatis, locutiones et auditiones, non sunt simul, sed alii allis in infinitum succedunt...—

Quarto, quia **solus totam vitam suam perfecte** possidet, tum quia solus totam simul, ut dictum est, tum quia possidet illam **per essentiam et a se,** creatura autem per participationem a Deo... Explicat hoc fuse D. Dionysius, cap. VI. De divinis nominibus" (cf. ib. n.° 11, 12, 13 et 14). —

Coroll. 3. Controversia inter scholasticos videtur provenire ex eorum discrepantia relate ad certos conceptus, praesertim relate ad conceptum creationis. Creationem esse veram **mutationem,** iam clare ostendimus. Illa celeberrima distinctio inter mutationem "propriam" et "impropriam" non tangit quaestionem. Deinde inculcandum, in creatione esse **veram successionem** quandocativam, uti ss. Patres et alii auctores eminentes frequentissime et jure merito affirmant. Quod sit successio noncontinua sed instantanea, evidenter nemo negat, sed iterum non modificat statum quaestionis.

Schol. Uti alio loco dictum est, iterum dicendum est, sc.: Deus utique ab aeterno creare potest; sed eo ipso, quod de facto creat, incipit tempus pro ipsa creatura, quae hic et nunc creatur neque antea neque postea.

Obi. 1. In creatione non habetur fieri (cf. Rast). Ergo.

Resp. Dist.: non per successionem continuam, conc.; non per successionem instantaneam, nego; par. dist. cons.

Obi. 2. Possibilitas creature semper aderat (ib). Ergo.

Resp. Dist. antec.: ut possibilis semper aderat, conc.; ut actualis semper adesse potuisset, nego; ideo nego cons. (Idem dicendum contra Pesch, 3, n.° 62).

Obi. 3. Creatio postulat tantum prioritatem Dei ratione naturae et non ratione temporis (ib.) Ergo.

Resp. Dist. antec.: si productio rei ex suo conceptu non involveret aliquam successionem, saltem instantaneam conc.; secus nego. Ergo etc.

Obi. 4. Omnis demonstratio metaphysica abstrahit ab hic et nunc; ergo novitas mundi nequit metaphysice demonstrari, (ib.).

Resp. Dist. antec.: abstrahit ab hic et nunc, inquantum hoc significat quandocationem concretam, conc.; inquantum significat abstractam, nego; par. dist. cons.

Assertum. Deus est causa prima et exemplaris mundi.

Nexus. In praecedentibus fuit sermo de causalitate efficienti et nunc erit quaestio de causalitate exemplari mundi.

Notions. 1) **Mundus** hic sumitur sensu universalissimo, sc. non solum ut universitas entium creatorum, sed etiam possibilium.

2) Dicitur causa **prima** in oppositione ad creaturas, quae quidem sunt causae principales secundariae, sed numquam esse possunt causa primaria.

3) Causa exemplaris considerari potest in genere et in specie;

a) in **genere** est idea vel forma rei producendae, praeexistens in mente artificis, secundum quam artifex rem producit. Est quasi **exemplum** vel imago, secundum quam opus externum formatur. Ideo nomen;

b) in **specie** causa exemplaris vel "idea" est **fundamentaliter** ipsa essentia Divina et **formaliter** ipse intellectus Divinus. Ideoque entitative est una sola idea Divina sed terminative sunt multae. Quare creaturae vocari possunt ideae Divinae non quidem entitative sed tantum terminative.

Ideo mundus intelligibilis ab aeterno existit, sc. fundamentaliter in essentia Divina, formaliter in intellectu Divino et efficienter in potentia Dei, i.e. mundus ut efficiendus, scilicet, in decretis aeternis Divinis.

Argumentum. Deus libere creavit, uti elucet ex praecedentibus. **Atqui** actio libera supponit intellectum diri-

gentem in creatore, i.e.: effectus liber praeexistere debuit intentionaliter in intellectu Divino (=praeexistentia exemplaris). **Ergo** mundus, sc. effectus operationis liberae Divinae ad extra ab aeterno existit in mente Divina, licet non physice et actualiter, sed intentionaliter vel exemplariter. Ideo Deus est causa exemplaris mundi.

De finalitate ipsius creationis.

Iam locuti sumus de causalitate efficienti necnon de causalitate exemplari creationis. Nonnulli hic statim incipiunt cum thesibus de conservatione et concursu Divino. Cum tamen sit quaestio de causalitate, statim agere volumus de causalitate finali, antequam accedamus ad thesim de conservatione et de concursu. Quoad causalitatem finalem iterum distinguendum erit inter finem operantis et operis et in hoc ultimo casu inter finem absolute et conditionate ultimum.

THESIS 34. Finis operantis in creatione est infinita Dei bonitas creaturis communicanda; (respective communicata).

Nexus. Erit nunc sermo de finalitate et quidem in hac thesi de fine operantis et nondum de fine operis.

Notiones. Integer conspectus relate ad finalitatem dabitur in sequenti thesi. Hic sufficit breviter definire finem operantis in oppositione ad finem operis.

1) Finis **operantis** est illud, quod operans hic et nunc in sua operatione vult. Finis operantis in creatione erit illud, quod Deus in operando ad extra vult.

2) Finis **operis** est illud, ad quod opus natura sua intenditur, vel est illud, quod operans de suo opere exspectat, vel saltem exspectare potest. De quo tamen erit sermo in sequenti thesi.

Adversarii. Quoad rem vix erit controversia inter scholasticos. Sed quoad modum proponendi ipsam veritatem aliquando adesse videtur discrepantia. Ad vitandam contradictionem inter hanc et sequentem thesim **aliqui** affirmant, "communicare suam bonitatem" ipsis crea-

turis esse practice idem ac "intendere suam gloriam formalem". Tamen non videtur esse idem. Nam, alteri dare vel communicare aliquid evidenter non est idem ac ab altero exigere aliquid. Difficultas facile solvitur si bene attendimus ad sensum theseos.

Sensus theseos. 1) **negative:** hic non quaeritur, quid Deus velit ut creatura faciat vel intendat, quod erit quaestio in sequenti thesi; 2) **positive:** sed quaeritur nunc, quid Deus in creatione velit relate ad creaturam; et dicimus, Deum creasse et jugiter creare ad suam infinitam bonitatem aliis communicandam.

Argumentum. Finis operantis est illud, quod operans in sua operatione intendit vel vult; **atqui** id, quod Deus creando intendit non potest esse nisi eius infinita bonitas, ipsis creaturis communicanda; **ergo** finis operantis in creatione est de **facto** infinita Dei bonitas creaturis communicanda.

Ad min. Nam omne ens intellectuale in qualibet eius operatione debet (si rationabiliter procedit) intendere summum bonum, secus irrationabiliter procedit. Ergo idem et a fortiori valet de Deo, cum sit infinite sapiens. Porro, non potest intendere summum bonum ut acquirendum (cum ipse sit summum bonum) ergo intendit summum bonum ut aliis communicandum, quod fit in et per creationem.

Coroll. Ex argumento clare sequitur ,in nostra thesi nullo modo esse quaestionem de gloria Dei, uti in statu quaestionis jam indicatum est. Nam dicere, Deum communicare suam infinitam bonitatem ipsis creaturis evidenter non est idem ac dicere, ipsam creaturam cognoscere et agnoscere hanc Dei bonitatem manifestatam et communicatam ad extra.

THESIS 35. Finis operis absolute ultimus in creatione est gloria Dei externa obiectiva pro omnibus, insuper formalis pro creaturis rationalibus

Nexus. Nunc erit sermo de fine operis et quidem de

fine absolute ultimo; de conditionate ultimo erit breviter quaestio in aliqua sequenti thesi.

Notiones. A. **Finis** est id, propter quod aliquid fit. Multiplex datur divisio:

I. Finis operis et operantis;

1) finis **operantis** est illud, quod operans in sua operatione vult vel intendit, v. gf. pecunia, honor, gloria, etc.;

2) finis **operis** est id, ad quod opus natura sua intenditur vel dirigitur; vel est id, quod opus natura sua vult vel saltem velle et intendere debet, inquantum agitur de operibus, quae sunt entia rationalia, uti homines et angeli.

II. Finis proximus, remotus (vel intermedius) et ultimus;

1) finis **proximus** est illud, quod proxime intenditur ab operante vel ad quod opus proxime intenditur. Evidens est, finem proximum non esse identicum cum fine primario, de quo statim erit sermo;

2 finis **remotus** est id, quod remote intenditur. Potest esse multiplex, uti patet. Dicitur etiam intermedius in oppositione ad proximum et ultimum;

3) finis **ultimus** est id, quod ultimatim intenditur, vel saltem ultimatim intendi debet. Vocabulum **"ultimatim"** non sumitur necessario temporaliter sed in oppositione ad finem proximum et intermedium, qui fini ultimo subordinantur. Sic v. gr. gloria Dei, de qua in thesi erit sermo, est noster finis ultimus, et quidem jam hic et nunc, in omnibus et singulis operationibus nostris, non tantum in futuro, uti patet.

III. Finis absolutus (vel primarius) et finis conditionatus (vel secundarius, vel hypotheticus);

1) finis **absolutus** (vel primarius) est id, quod absolute et primarie intenditur, vel saltem absolute intendi debet. Primarium et proximum hic non esse idem, modo iam dictum est;

2) finis **conditionatus** (vel secundarius vel hypotheticus) est illud, quod non nisi conditionate vel hypothetice vel secundarie vel dependenter a fine primario intenditur, vel saltem intendi debet.

B. **Gloria:** I. In **genere** est ex mente S. Thomae **"clara cum laude notitia"** (cf. S. Thomas, I, 2, q. 2, a. 3). Brevissima explicatio definitionis: 1) **"clara"**, sc. aliqua claritas vel excellentia vel perfectio ut talis laudabilis; 2) **"notitia"**, sc. cognitio vel notio illius claritatis vel perfectionis; 3) **"cum laude"**, sc. agnitio illius excellentiae vel perfectionis.

Quibus praesuppositis eadem definitio aliis verbis exprimi potest, sc.: **Gloria est excellentia vel perfectio aliqua, cognita et agnita ut talis.**

Nota: Definitionem valere de **gloria formali,** clare elucet ex ipsis verbis.

Nam gloria **obiectiva** est ipsa excellentia vel perfectio, ut talis **laude digna**; gloria **formalis** autem eadem excellentia **ut talis laudata,** vel **cognita** et **agnita**.

I I. **Gloria in specie,** sc. Gloria Dei, quae potest esse vel interna vel externa et utraque vel obiectiva vel formalis;

1) **interna** est infinita Dei perfectio vel excellentia **in se ipsa,** quae potest sumi vel obiective vel formaliter;

a) **obiectiva** est infinita Dei excellentia in se ipsa et ut talis laude digna;

b) **formalis** est eadem infinita Dei excelentia in se ipsa et ut talis laudata vel cognita et agnita a Deo ipso;

2) gloria Dei **externa** est infinita Dei perfectio vel excellentia non in se, sed manifestata ad extra; quae proinde est iterum duplex, sc. obiectiva et formalis;

a) **obiectiva** est infinita Dei excellentia manifestata ad extra et ut talis laude digna (vel laudanda a creaturis);

b) **formalis** est eadem infinita Dei excellentia manifestata ad extra et ut talis de facto laudata, vel cognita et agnita a creaturis.

Adversarii. 1) **Pantheistae,** qui finem mundi reponunt in continua eiusdem evolutione donec perveniat ad plenam sui conscientiam. 2) Inter catholicos erraverunt **Hermes** et **Guenther** (1783-1863), qui quidem non negant Deum in operatione ad extra aliquo modo velle gloriam suam, sed in ea vident finem mere secundarium. (Cf. Mors, vol. II. pg. 42). 3) Secundum **Kant** finis "naturae" est, ut ordo ethicus obtineat primatum supra ordinem na-

turae. Similem errorem docuit **Fichte.** (Cf. Rast, pg. 226 n.° 427).

Sensus theseos. 1) Non loquimur de fine operantis, sed tantum de fine operis. 2) Non loquimur de fine proximo, neque remoto vel aliquo intermedio, sed tantum de ultimo. 3) Non loquimur de fine conditionate, sed **absolute ultimo.** 4) Ideo sensus theseos est hic: Finis absolute ultimus omnis et cuiuscumque creaturae est unice **gloria Dei** externa, et quidem obiectiva pro omnibus et insuper fomalis pro entibus rationalibus; aliis verbis: omnia entia rationalia **debent** laudare vel formaliter glorificare Deum et quidem in hac et in altera vita; et de **facto** Deus glorificatur formaliter: a) iam hac in vita, sc. ab homine **bono** et **justo,** et quidem **libere** et **libenter;** sc. **"more, ore** et **labore";** b) in altera vita, sc. in vita beata a **beatis,** licet **non** libere sed libentissime; c.) in inferno a condemnatis, et quidem neque libere, neque libenter sed cum summa et interna repugnantia, sed tamen vere et proprie et formaliter Deus glorificatur, sc. cognoscitur et agnoscitur infinita eius excellentia, eius justitia, etc. — Proinde, si peccator peccando Deo denegare conatur honorem et gloriam, nihilominus in latera vita hanc gloriam Deo praestare debet ,et quidem in sempiternum.

Pars I. Finis absolute ultimus in creatione est gloria Dei externa obiectiva pro omnibus creaturis.

Argumentum 1. Gloria Dei externa obiectiva est ipsa infinita Dei excellentia vel perfectio, non quidem in se, sed manifestata ad extra et ut talis laude digna; **atqui** quaelibet creatura, et quidem primarie et utimatim est singularis quaedam manifestatio infinitae Dei perfectionis vel excellentiae et ut talis laude digna; **ergo** finis absolute ultimus in creatione est gloria Dei externa obiectiva pro omnibus creaturis.

Ad min. Dicitur 1) "ultimatim", i. e. in ultima analysi; proxime utique hoc non semper tam clare elucet; 2) dicitur "primarie", i.e. absolute, sc. non pendet ab ulla conditione; 3) quae manifestatio fit "modulo suo", sc. secundum cuiusque rei naturam; proinde modo valde diverso in diversis rebus vel creaturis.

Argumentum 2. existit celeberrimum axioma: "Omne opus laudat suum artificem", quod evidenter significat gloriam externam obiectivam; **atqui** si hoc jam valet de quolibet opere artificiali (sc. artificioso), tunc a fortiori valet de quolibet opere naturali (sc. relate ad suum artificem Divinum); **ergo** etc. —

Pars II. Finis absolute ultimus in creatione est insuper gloria Dei externa formalis pro creaturis rationalibus.

Arfgumentum 1. Omnis creatura Deum glorificare debet tantum, quantum potest; **atqui** creatura rationalis Deum glorificare potest non tantum obiective, sed insuper formaliter; **ergo** gloria Dei externa formalis est insuper finis absolute ultimus pro creatura rationali.

Ad min. Nam potest Deum eiusque excellentiam ad extra manifestatam cognoscere et agnosecere; quod hac in vita fit libere et libenter; in vita beata non libere, sed tamen libentissime; sc. in utroque casu cum amore; in inferno autem neque libere, neque libenter, sed tamen vere et proprie.

Argumentum 2. (Idem alio modo)

Quaelibet creatura Deum glorificare debet "modulo suo", i.e. modo sibi proprio; **atqui** modus creaturae rationalis proprius est gloria Dei formalis, sc. cognitio et agnitio eius excellentiae vel perfectionis; **ergo** creatura rationalis Deum glorificare debet non tantum obiective, sed insuper formaliter.

Coroll. 1. Alii etiam sequens argumentum ponere solent, sc.: Omne ens rationale debet saltem ultimatim et absolute velle vel appetere summum bonum (cum secus irrationabiliter ageret); **atqui** velle et appetere summum bonum de facto est idem ac cognoscere et agnoscere infinitam Dei excellentiam manifestatam ad extra (et quidem "ore, more et labore"); **ergo** etc.

At dicendum: Esset optimum argumentum, si haberet valorem absolute universalem. Valet enim tantum pro bonis hac et in altera vita, non autem pro condemnatis. Verum est, etiam illos in sempiternum et vehementissime

desiderare summum bonum; tamen illud **non** possunt **efficaciter appetere.** In illo argumento autem evidenter est sermo de volitione efficaci.

Coroll. 2 Ex thesi sequitur corollarium valde practicum, sc. "principium et fundamentum", quod S. Ignatius in suis "Exercitiis Spiritualibus" inculcat his verbis: "Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat et per haec salvet animam suam" (cf. Thesaurus Spirit., pg. 39-40). En, finalitas principalis et suprema totius vitae nostrae! Ideoque Verba Sancti Pauli Apostoli: "Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia facite in Gloriam Dei!" (1. Cor. X. v. 31).

Totum mundum visibilem manifestare Dei infinitam excellentiam et magnificentiam ideoque glorificare Deum, saltem obiective, luculenter docetur in epistola ad Romanos: "quod notum est Dei, manifestum est in illis;" (Rom. I, 20). Idem saepe testatur in antiquo Testamento; v. gr.: "Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est,... a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri" (Sap. XIII, v. 1 et 5); vel (Ps. 8, v. 2); (Ps. 18); (Ps. 110, v. 2. et 3), etc.

Coroll. 3. In statu quaestionis breviter iam dictum est, Deum dupliciter glorificari posse, scilicet: 1) **libere** et **libenter,** i.e. cum amore, sc. **hac** in vita ab hominibus justis, qui agunt vitam bonam et sanctam; 2) **necessario** in **altera** vita, et quidem a) **libenter,** i.e. cum amore a beatis in coelo; sed b) **non** libenter sed cum summa repugnantia a damnatis in inferno. Sed ab omnibus, sine ulla exceptione, Deus eiusque infinita excellentia cognoscitur et agnoscitur et agnosci debet. Et hoc requiritur et sufficit, ut sit vera gloria formalis. Ideo falsum esset, si quis putaret, amorem pertinere ad essentiam gloriae formalis. Si ita esset, Deus de facto non glorificaretur formaliter in inferno, et tunc gloria Dei formalis non esset finis absolute ultimus in creatione. Finis enim absolute ultimus saltem ultimatim et finaliter et ab-

solute **obtineri debet,** uti patet ex conceptu finalitatis absolutae. Verum est hoc: si quis vere amat Deum, eo ipso eum glorificat (et quidem formaliter), sed non vice-versa; potest enim quis Deum vere glorificare (formaliter), quin eum eo ipso amet. Quod adhuc fusius videbimus in sequenti asserto.

Schol. 1. Praeter divisionem allatam in thesi, auctores insuper distinguere solent inter finem **"qui"**, finem **"cui"** et finem **"quo".** 1) Finis **qui** est illud bonum, cuius acquirendi gratia actio fit. 2) Finis **cui** est subiectum, cui illud bonum procuratur. 3) Finis **quo** est adeptio illius boni. **Finis qui** etiam vocari solet finis obiectivus, vel materialis, et finis **quo** dici solet finis formalis. (Cf. Cathrein, Phil. moral., pg. 24 n.° 30). Secundum Rast gloria Dei externa est finis **qui;** Deus est finis **cui** et assimilatio creaturae ad Deum est finis **quo.** (Cf. Rast, pg. 228 n.° 435).

Schol. 2. Thesis nostra est summi momenti etiam pro variis thesibus in philosophia morali tractandis. Cur v. gr. suicidium est prohibitum? **Resp.** quia homo debet Deum glorificare et quidem formaliter; et in hoc consistit sua dignitas suprema; sed etiam sua obligatio suprema. Proinde non potest ad libitum abreviare vitam, sed debet jam hac in vita Deum glorificare, et quidem tamdiu, quamdiu Deus vult. Etiam thesis de cultu Divino fundatur supra solidum fundamentum theseos de gloria Dei externa formali.

Obi. 1. Glorificando Deum possumus consequi beatitudinem; gloria Dei non est finis, a fortiori non finis absolute ultimus, sed potius **medium,** quo consequitur beatitudo tamquam finis.

Resp. Nego assertum. Nam: agendo vitam bonam et honestam eo ipso consequitur: a) ipsa gloria Dei ut finis absolute ultimus; et b) ipsa beatitudo, ut finis conditionate ultimus. Ideo medium, quo consequitur beatitudo, proprie non est gloria Dei, sed **vita bona,** qua uterque finis simul obtinetur, sc. et gloria Dei, et propria beatitudo aeterna.

Obi.2. Dicimus, gloriam Dei externam non esse Dei excellentiam in se, sed qua manifestatam ad extra; atqui saltem in coelo hoc non valet. Ergo, etc. —

Resp. Conc. mai. et nego min. — **Probo min.:** Nam in coelo Deus videtur intuitive; ergo sicut est in se. **Resp.** Conc. antec.; dist. cons.: videtur ita, uti est absolute in se, nego; ita, ut nobis manifestatur, sc. **ad extra** conc. —

Obi. 3. Gloria Dei iam ante creationem fuit eadem; ergo non potest esse finis creationis.

Resp. Dist. antec.: Gloria Dei interna, conc.; externa, nego. Par. dist. cons. —

Obi. 4. Gloria Dei externa est quid finitum; **atqui** Deus nequit intendere finitum; ergo gloria externa non est finis creationis.

Resp...Conc.mai. et dist. min.: ut finem operantis, conc.; ut finem operis, nego; par dist. cons.

Ad expl. volumus afferre verba ipsius **Rast:** "Deus vult in creando suam gloriam externam, sed tamen **non** creavit **propter** suam gloriam obtinendam. Aliis verbis: **motivum** creationis est bonitas Divina communicanda, minime vero gloria Dei intrinseca augenda, cum hoc sit impossibile, nec gloria externa comparanda, cum Deus ea non indigeat. Sed, supposito decreto creationis, Deus debet a creatura suam gloriam formalem postulare, cum rectus ordo, i.e. dependentia totalis creaturae a Deo, hoc requirat. Gloria vero obiectiva habetur necessario cum ipso facto creationis" (Rast, pg. 229 n.° 436). Ex quibus verbis clare elucet, finem creationis operantis et operis non esse plane identicum.

Obi. 5. Per gloriam externam Deus nihil accipit; ergo est superflua pro Deo.

Resp. Conc. antec. et nego cons.; nam, quamvis Deus nullo modo indigeat tali gloria externa (ideoque creatio ex parte Dei sit liberrima), tamen, homine semel creato, Deus non potest renuntiare huic gloriae, quia secus irrationabiliter ageret.

Obi. 6. "Unum est neccessarium, sc. salvare animam"; ergo hoc erit finis absolute ultimus.

Resp. Conc. antec. et dist. cons.: hoc erit finis absolute ultimus internus conc.; externus, nego.

Obi. 7 Gloria humana est gloria vana; atqui talem Deus non vult; ergo etc.

Resp. Dist. mai.: illa gloria est vana, quam homo sibi arrogat, eamque non attribuit ipsi Deo, conc.; illa, quam homo Deo attribuit, nego; contradist. min. etc.

THESIS 36. Amor non videtur de essentia gloriae Dei externae formalis.

Nexus. Locuti sumus de gloria Dei externa formali. Evidens est, amorem creaturae erga Deum esse eo ipso gloriam Dei externam formalem, et quidem per **excellentiam.** Sed, estne omnis gloria Dei externa formalis etiam eo ipso amor erga Deum ? — Videtur respondendum esse negative, uti statim videbimus.

Notiones. Breviter explicandum erit, quid sit amor erga Deum. Quoad gloriam externam formalem sufficit iterum brevissime afferre definitionem ex thesi praecedenti.

1) **Gloria Dei externa formalis** est infinita Dei excellentia vel perfectio, manifestata ad extra et ut talis de facto cognita et agnita a creaturis.

2) **Amor** potest esse vel egoisticus vel altruisticus (cf. Fröbes, Comp. psych. experim., p. 287-290). Hic loquimur tantum de altruistico et quidem erga Deum;

a) amor altruisticus in **genere** est simplex complacentia voluntatis in bono proposito propter sese amabili. (Cf. Cathrein, Phil. Moral., p. 57, n. 70). Ex quo facile sequitur definitio amoris erga Deum, scilicet:

b) amor **erga Deum** est simplex complacentia voluntatis in summo bono proposito propter sese infinite amabili. Ex qua complacentia non tantum sequitur maxima inclinatio erga Deum cum omnibus suis viribus et facultatibus, sed etiam intima **satisfactio,** imperfecte iam hac et perfecte in altera vita, sc. "in statu omnium bonorum aggregatione perfecto" (cf. Boëtius).

Sententiae. 1) Secundum Hontheim (Gloria Dei externa formalis est cognitio cum **amore,** quae de Deo a creaturis habetur" (cf. theod. p. 288). Similiter alii scholastici opinari videntur. 2) Alii cum Hontheim omnino in-

culcant, amorem esse gloriam Dei externam formalem per excellentiam, sed negant, omnem gloriam Dei externam farmalem necessario includere amorem. Ita v. gr. **Mors** clare docet, secundum quem etiam damnati glorificare debent Deum, et quidem formaliter (cf. Mors, vol. II, n. 600). Similiter cogitat **Rast,** qui affirmat: "Gloria Dei habetur etiam in damnatis, cum manifestent eius iustitiam et sanctitatem simulque eam agnoscant" (cf. Rast, p. 228, n. 435).

Sensus theseos. 1) Cum omnibus auctoribus scholasticis omnino inculcamus, **amorem** erga Deum esse omnino veram gloriam Dei externam formalem, et quidem per **excellentiam,** uti iam supra dictum est. Insuper dicendum, Deum hanc formam gloriae externae formalis, sc. per amorem, **serio velle,** licet dependenter a libera volitione creaturae, uti alibi adhuc videbimus. Immo dicendum, amorem procul dubio melius et perfectius correspondere intentioni et infinitae bonitati Dei, quam praestare gloriam formalem eo modo, uti damnati in inferno debent. 2) Sed tamen videtur negandum, amare Deum esse **unicam** formam **verae** gloriae Dei externae formalis. Aliis verbis: cum **Mors,** Rast et aliis putamus, ad **cognitionem** et **agnitionem** excellentiae alterius **non** necessario requiri actum **amoris,** ideoque v. gr. damnatos in inferno omnino **vere** et **formaliter** glorificare Deum, licet evidenter non in illa forma perfecta, uti iusti hac et praesertim in altera vita Deum glorificant.

Argumentum 1. (Ex definitione gloriae formalis) Gloria Dei externa formalis est infinita Dei excellentia vel perfectio, manifestata ad extra et ut talis cognita et agnita a creaturis; **atqui** talis cognitio et agnitio fieri potest, quin Deus a creatura ametur; ergo amor non videtur de essentia gloriae Dei externae formalis.

Ad min. 1) Probatur in **genere:** nam cognoscere et agnoscere excellentiam vel perfectionem alterius non necessario involvit actum amoris benevolentiae erga ipsum alium, cuius excellentia hic et nunc cognoscitur et agnoscitur. Sic inter homines accidere potest et non raro accidit, aliquem **vere** et **proprie** agnoscere fortitudinem, intel-

ligentiam aliasque bonas qualitates ipsius inimici, quin de facto ipsum amet.

2) Idem dicendum videtur in nostro casu, et quidem a fortiori. Nam, licet peccator hac in vita denegare conetur et de facto Deo deneget gloriam formalem, negando eius infinitam excellentiam (verbis, cogitationibus moribusque pessimis) nihilominus in altera vita non tantum potest, sed **debet** in sempiternum cognoscere et agnoscere infinitam Dei excellentiam, utpote auctoris et Domini supremi et absoluti.

Argumentum 2. (Ex definitione finis absolute ultimi)

Omnes scholastici unanimiter inculcant, gloriam Dei externam formalem esse finem **absolute** ultimum in creatione; **atqui** dicere, gloriam Dei externam formalem esse finem absolute ultimum et affirmare, amorem esse de essentia talis gloriae, videtur involvere contradictionem; **ergo** dicendum, amorem non esse de essentia gloriae Dei externae formalis.

Ad min. Nam finis **absolute** ultimus ex suo conceptu saltem ultimatim nullo modo pendet a creatura, secus iam non esset finis absolute ultimus, uti patet. **Amor** autem tum proxime tum ultimatim non pendet a solo Deo, sed **etiam** a **creatura.** Nunc.: affirmare illud, quod a creatura pendet ab eaque **frustrari** potest, esse de essentia illius, quod **nullo modo frustrari** potest a creatura, saltem ultimatim non, involvit aliquam contradictionem. Ergo dicere, amorem esse de essentia gloriae Dei formalis, de facto videtur involvere contradictionem.

Argumentum 3. (Idem breviter alio modo)

Gloria Dei externa formalis, utpote finis absolute ultimus in creatione, saltem ultimatim a **nulla** craetura frustrari valet; **atqui** amor erga Deum et proxime et ultimatim a creatura frustrari valet, immo et de facto frustratur in aeternum a peccatore impaenitenti; **ergo** amor non potest esse de essentia gloriae Dei externae formalis.

Coroll. 1. Amorem non esse de essentia gloriae Dei externae formalis, multipliciter et clarissime confirmatur

considerationibus theologicis. Ex quibus duo saltem argumenta afferre volumus, scilicet:

Argumentum 1. Una ex finalitatibus principalioribus judicii finalis et universalis erit, ut Christi Domini "gloria omnibus manifestetur eique publicum et solemne ab universo mundo obsequium praestetur"... ipsique flectatur "omne genu caelestium, terrestrium et infernorum" (cf. Mors, vol. II, p. 381, n. 600). Quare omnes Christo Domino praestare debent gloriam, et quidem gloriam **formalem,** uti ex textu luculenter elucet; **atqui** non omnes praestabunt illam gloriam per **amorem** cum damnati Deum non ament, neque amare possint; ergo dicendum, amorem non posse esse de essentia gloriae Dei externae formalis.

Argumentum 2. Secundum S. Paulum Deus exaltavit Christum Dominum, "et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum" (cf. Phil. II, 10). **Atqui** in hoc textu iterum est sermo 1) de gloria Dei externa **formali,** 2) praestanda ab **omnibus,** proinde etiam a damnatis, qui Deum evidenter amare nequeunt; **ergo** iterum sequitur, amorem non esse de essentia gloriae Dei externae formalis.

Ad min. 1) Est sermo de gloria **formali** et non tantum de gloria obietiva. Nam "genu flectere" significat cultum latreuticum, qui sua ex parte est forma **excellentissima** gloriae Dei externae formalis. Insuper in versiculo sequenti idem clare confirmatur, scilicet, per verba: "et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris" (ib. v. 11).

2) Est sermo de gloria formali praestanda ab omnibus proinde etiam a **daemonibus** et **damnatis;** nam a) **Knabenbauer** affirmat, hanc acceptionem esse **"communem** pene omnium interpretum" (cf. Knabenbauer, Comment. ad Epist. ad Phil., p. 221). b) Eadem interpretatio illius textus clarissime invenitur apud **Dr. Peter Ketter,** Die kleinen Paulusbriefe, in Herders Bibelkommentar, Bd. XV, 1937, S. 105).

Coroll. 2. Ex thesi sequitur etiam hoc: Si verum est, uti dicunt, sc., **finem operantis** in creatione esse idem ac **assimilationem ad Deum,** et si verum est, assimilationem ad Deum consistere in **imitatione Divinae** bonitatis, proinde in amore et praesertim **in amore erga Deum ipsum,** quod vix aliquis negaverit, et si verum est, amorem **non** esse de **essentia** gloriae Dei externae **formalis,** uti in thesi probatum est, et si verum est, gloriam Dei externam formalem esse finem **operis absolute ultimum** in cratione pro omnibus creaturis rationalibus, uti in thesi 35.ª probavimus, et quod ab omnibus auctoribus scholasticis prorsus inculcatur, tunc sequitur logice, finem **operantis** et finem **operis absolute ultimum** in creatione **non posse indentificari** inter se.

Coroll. 3. Uti iam in statu quaestionis dictum est iterum notandum est, sc. amorem esse formam gloriae Dei externae formalis incomparabiliter perfectiorem illa, quam damnati praestant in inferno in sempiternum. Ideo **Mors** in suis praelectionibus recte dixit, amorem esse "complementum perfectionis".

Deinde dicendum: Licet Deus, creatura semel supposita, suae gloriae externae formali renuntiare nequeat, uti in thesi praecedenti ostendimus, tamen liberrimo modo cum hac vel illa forma gloriae formalis sese contentare valet. Nimirum, si gloria Dei externa formalis necessario conecteretur cum amore, sc. si amor esset de eius essentia, tunc utique, Deus peccatum logice permittere non posset, cum omnis creatura rationalis Deum glorificare debeat non tantum obietive, sed formaliter, uti in aliqua thesi speciali probatum est.

Obi. 1. A damnatis Deus forte tantum obietive glorificatur ?

Resp. Nullo modo ! Sufficienter ostendimus, illos praestare et praestare debere veram gloriam formalem, scilicet, cognoscendo et agnoscendo infinitam Dei excellentiam, iustitiam, etc. — Si quis hoc serio negaverit, eo ipso negare deberet, gloriam Dei externam formalem esse finem absolute ultimum pro creaturis rationalibus, uti iam notatum est.

Obi. 2. Dicere, gloriam formalem non necessario consistere in amore, est idem ac diminuere hanc gloriam.

Resp. Respondendum est dupliciter, sc.: 1) iam diximus supra, Deum ad libitum sese contentare posse vel cum maiori vel cum minori gloria, dummodo sit vera gloria formalis. 2) Retorqueo: Denegare Deo veram gloriam formalem ex parte damnatorum, non tantum esset idem ac diminuere gloriam formalem, sed esset idem ac denegare aliquid, quod est Deo plane debitum.

Obi. 3. Si quis odium habet in Deum, eum certo non glorificat; atqui damnati maximum odium sentiunt erga Deum; ergo eum minime glorificant.

Resp. Dist. mai.: si nullo modo Dei excellentiam agnoscit, conc.; si non obstante odio, Dei excellentiam vere agnoscit, subdist.: non glorificat Deum modo perfecto uti sancti et justi, conc.; non saltem imperfecte sed tamen vere et formaliter, nego; conc. min.; par. dist cons.

Obi. 4. Thesis videtur defendere sententiam plane singularem ?

Resp. Nullo modo! Nihil enim defendit, nisi quod in Sacra Scriptura tam clare docetur, uti vidimus in corollario primo.

THESIS 37. Finis conditionate ultimus in creatione est bonum creaturarum, praesertim rationalium.

Nexus. Finem operis absolute ultimum in creatione consistere in gloria Dei externa obiectiva et praesertim in formali, sc. pro creaturis rationalibus, invicte constat ex thesi 35. Nunc breviter ostendendum erit, Deum velle etiam bonum creaturarum, maxime rationalium, licet secundarie tantum vel hypothetice, i. e. dependenter a fine primario.

Notiones. 1) Quid sit finis, et quidem **operis**, de quo agitur, iam clare scimus ex thesi 35. Ibi etiam explicavimus, quid sit finis **absolute** et **conditionate** ultimus. Proinde sufficit breviter ostendere, quid sit illud **bonum** creaturarum, praesertim rationalium, sc. beatitudo:

2) **beatitudo** est "status omnium bonorum aggregatione perfectus" (cf. Boëtius). Qui "status perfectus" initialiter jam hac in vita obtineri potest, sc. bona conscientia vel tranquillitas cordis et pax profunda, (agendo vitam vere sanctam) perfecte autem non nisi in altera vita. Notandum, nos semper loqui de beatitudine naturali, et non de visione beatifica, de qua erit sermo in tractatu dogmatico.

Adversarii. 1) Sunt praesertim **Calvinistae,** secundum quos Deus alios a priori praedeterminat ad beatitudinem, alios a priori et positive ad poenam aeternam; et sic peccant contra **primam** partem theseos, secundum quam Deus vult etiam bonum creaturae, et quidem **omnis,** praesertim rationalis.

2) Alii, uti v. gr. **Hermes** et **Günther** peccant contra **secundam** partem theseos, cum affirment, bonum creaturarum rationalium esse finem principalem, et non tantum secundarium (cf. Mors, II. pg. 42, n. 53).

Sensus theseos. 1) In prima parte defendimus, bonum creaturarum esse **etiam** finem creationis; 2) in secunda parte affirmamus, esse **tantum** finem secundarium, vel conditionatum vel hypotheticum.

Pars I. Bonum creaturarum, praesertim rationalium, est etiam finis in creatione.

Argumentum 1. Ex thesi de fine operantis in creatione scimus, Deum creasse mundum ad suam infinitam bonitatem communicandam ipsis creaturis; **atqui** tunc evidenter vult, ut ipsae creaturae, praesertim rationales, accipiant hanc bonitatem; **ergo** Deus vult etiam bonum creaturae, praesertim rationalis; ergo bonum creaturarum est etiam finis in creatione.

Argumentum 2. Ex psychologia et ex argumento eudaemonologico scimus, Deum ipsis creaturis rationalibus imprimere desiderium felicitatis; **atqui** tunc certo illas

creat, non tantum ut glorificent Deum, sed etiam, ut ipsae sint felices; **ergo** felicitas vel bonum creaturae (rationalis) est etiam finis creationis.

Ad min. Est evidens, quia secus tale desiderium ipsis creaturis infundere non posset.

Argumentum 3. Ex thesi 35. scimus, finem operis absolute ultimum creationis pro creaturis rationalibus esse gloriam Dei externam formalem, sc. cognoscere et agnoscere infinitam Dei excellentiam manifestatam ad extra; **atqui;** qui hac in vita (et praesertim in vita beata) Deum cognoscit eumque ex **toto corde agnoscit,** eo ipso consequitur suam propriam felicitatem, imperfecte iam in hac et perfecte in altera vita; **ergo** felicitas creaturae praesertim rationalis est etiam finis in creatione.

Pars II. Sed bonum creaturarum est tantum finis condicionate ultimus in creatione.

Argumentum. Deus ordinate, immo et ordinatissime vult; **atqui** qui ordinate vult, bonum creatum non vult nisi conditionate; **ergo** Deus bonum creatum tantum conditionate vult, quod proinde est finis conditionate ultimus.

Ad min. Nam, qui ordinate vult primarie et absolute velle debet bonum infinitum, bonum autem finitum non nisi dependenter a bono infinito, i. e. conditionate; ergo, qui ordinate vult, bonum creatum non vult nisi conditionate.

Coroll. 1. Quod in thesi praecedenti, sc. in parte prima, argumento 2.° iam probatum est, nunc, supposita hac thesi adhuc clarius elucet, scilicet: Illi, qui **amorem** et assimilationem creaturae ad Deum identificare volunt cum gloria Dei externa formali logice confundunt finem **conditionate** ultimum cum fine **absolute** ultimo.

Nam 1) Deus utique **serio** vult bonum creaturae rationalis, sc. felicitatem nostram sed non nisi **conditionate,** i. e. dependenter a nostra bona voluntate, vel dependenter a nostro **amore.** Porro 2) Etiam nostrum **amorem** Deus serio, immo et **maxime** vult, sed iterum **non nisi con-**

ditionate, sc. dependenter a nostra libera voluntate. 3) Sed id, quod Deus omnino **absolute** vult, saltem ultimatim, est eius gloria externa formalis, i. e. **cognitio** et agnitio infinitae eius excellentiae. Ideo falsum est, amorem et imitationem Dei (sc. assimilationem creaturae ad Deum) esse omnino et absolute idem ac formaliter glorificare Deum; quia secus finis **conditionate** ultimus esset identicus cum fine **absolute** ultimo, quod esset contradictio in terminis.

Proinde dicere possumus: 1) **Modus, quo** Deus a nobis glorificari potest, pendet non tantum a Deo, sed etiam a nobis, et quidem proxime et ultimatim. 2) Sed ipsa gloria Dei externa formalis ut **talis,** saltem **ultimatim non** pendet a libera volitione creaturae, quia secus frustrari posset, et tunc non iam esset finis **absolute** ultimus, uti iam dictum est.

Coroll. 2. Conspectus pro finalitate creationis.

I. Finis operantis est infinita Dei bonitas creaturis communicanda.

II. Finis operis est duplex, scilicet:

1) **absolute** ultimus (ipsi creaturae **externus**) = gloria Dei externa obiectiva pro omnibus, insuper formalis pro creaturis rationalibus;

2) **conditionate** ultimus (ipsi creaturae **internus**) = bonum creaturarum, praesertim rationalium, quod bonum iterum est duplex, scilicet:

a) **supremum** = salus aeterna (vel beatitudo perfecta);

b) **subordinatum** = cetera bona, sc. temporalia, quae proinde non appetere debemus, nisi dependenter a nostro supremo bono (sc. dependenter a nostro ultimo fine **interno** et proinde dependenter a fine **externo** supremo, sc. a fine simpliciter et **absolute** ultimo).

Schol. 1. Bonum creaturae, praesertim rationalis, esse etiam verum finem creationis, modo singulari elucet ex opere redemptionis, quo Dominus Noster Jesus Christus pati et mori voluit, ad genus humanum Sanguine Suo Pretiosissimo redimendum, ut sic omnes homines salvi fieri possint. Quam voluntatem salvificam Divinam esse

omnino seriam et sinceram, non tantum invicte constat ex revelatione supernaturali Divina, sed iam in philosophia (sc. quoad beatitudinem naturalem consequendam) clare ostendi valet, uti ex parte iam vidimus in thesi nostra, sed adhuc speciatim probabitur in ultima thesi nostri tractatus.

Schol. 2. Iam vidimus, gloriam Dei externam formalem esse cognitionem et agnitionem infinitae Dei excellentiae cum omnibus eius perfectionibus et attributis. Nihilominus dicendum, hanc gloriam, saltem in vita practica, speciali modo conecti cum **voluntate** Divina. Nam bonus christianus libenter Deum glorificabit in rebus secundis vel jucundis. Sed difficilius erit hoc in rebus adversis. Quare omnes vitae spiritualis magistri inculcant ac recommendant conformitatem cum voluntate Divina, quaeque **conformitas** nihil est nisi **cognoscere** et **agnoscere** voluntatem Divinam ut optimam eamque adorandam non obstantibus difficultatibus et tribulationibus.

Obi. 1. Deus amat amore benevolentiae; atqui qui sic amat, primarie amat bonum alterius; ergo Deus primarie amat bonum creaturae.

Resp. Conc. mai. et dist. min.: si bonum alterius est bonum maius, conc.; si est bonum minus, nego. Par. dist. cons.: si creatura esset bonum maius, conc. secus nego.

Obi. 2. Pars I.ª continetur in II.ª, ergo superflua.

Resp. Dist. antec.: implicite, conc.; explicite, nego. Ideo nego cons.; deinde omnino utile erit, partem primam speciatim et positive probare, propter errorem adversariorum.

Obi. 3. Secundum Cathrein (pg. 28) bonum creaturae est finis simpliciter ultimus; ergo est contra nostram thesim.

Resp. Dist. antec.: est simpliciter ultimus relate ad alia bona creaturae ipsi beatitudini subordinata, conc.; relate ad gloriam Dei, nego; ideo nego cons.

Obi. 4. (Contra p. I.) Si bonum creaturae esset etiam finis ultimus, tunc ultimatim omnes creaturae liberae salvarentur; atqui non omnes salvantur; ergo etc.

Resp. Dist. mai.: si esset finis absolute ultimus, conc.; si tantum conditionate ultimus, subd.: si omnes serio vellent, conc.; secus nego:; conc. min. et par. dis cons.: est finis absolute ultimus, nego, conditionate, conc.

THESIS 38. Beatitudo essentialiter consistit in cognitione, amore et gaudio.

Nexus. In thesi praecedenti vidimus, finem conditionate ultimum in creatione esse bonum creaturae, praesertim creaturae rationalis, sc. beatitudinem. Nunc quaeritur. in quonam consistat illa beatitudo.

Notiones. Quid sit **cognoscere** Deum eumque **amare,** iam scimus ex praecedentibus. **Gaudium** vel fruitio est quies in bono obtento. (Cf. Cathrein, n. 71.). Praeter quos conceptus hic specialiter erit quaestio de **beatitudine** eiusque **esesntia,** et quidem de essentia **metaphysica.**

I. **Beatitudo** 1) **complete** sumpta est secundum Boëtium "status omnium bonorum aggregatione perfectus"; 2) **obiective** sumpta est ipsum summum bonum, scilicet Deus; 3) **subiective** sumpta est ipse **actus, quo** summum bonum perfecte possidetur. In thesi erit quaestio de beatitudine tantum **subiective** sumpta.

II. **Essentia** vel quidditas rei "est id, quo res est id quod est" (cf. Frick, Ontol., n. 73.), et potest sumi vel physice vel metaphysice;

1) **essentia physica** est id, quo res constituitur in ordine physico; vel loquimur de essentia physica, si res consideratur cum suis partibus essentialibus in ordine physico; hoc sensu corpus + anima = essentia physica hominis;

2) **essentia metaphysica** duplici sensu considerari valet, sc.:

a) vocatur essentia metaphysica, si elementa constitutiva rei sumuntur in ordine metaphysico, sc. ut genus ultimum + differentia specifica. Sic v. gr. animalitas + rationalitas constituunt essentiam metaphysicam hominis;

b) essentia metaphysica alio sensu est id vel sunt omnia illa, sine quibus res ut **talis** nequidem **legitime** cogitari vel **concipi** valet (cf. Frick, ib. n. 76). Hoc secundo

sensu non tantum genus ultimum cum differentia specifica, sed etiam componentia essentialia physica constituunt essentiam metaphysicam rei. Hoc sensu v. gr. non tantum animalitas et rationalitas sed etiam corpus et anima constituunt essentiam vere metaphysicam hominis. quia homo legitime cogitari nequit sine rationalitate vel sine animalitate, vel sine corpore vel sine anima. In thesi essentia metaphysica sumitur hoc **secundo** sensu.

Quaeritur nunc: In quonam, respective in **quibusnam** elementis vel notis consistit essentia **metaphysica** ipsius beatitudinis **subiective** sumptae? — Aliis verbis: Quisnam est ille actus vel **quinam** sunt illi **actus** vitales (ipsius animae beatae), sine quibus **vera** et **perfecta** beatitudo ut talis nequidem **legitime** cogitari vel concipi potest? — Ad quod problema solvendum variae ortae sunt explicationes, quae ad quattuor sententias reduci possunt.

Quattuor illae sententiae. 1) **S. Thomas** affirmat, **solam cognitionem** esse essentiam metaphysicam beatitudinis (sc. visionem); amorem vel actum volitivum quidem requiri, sed **non** ut elementum constitutivum beatitudinis, sed tantum ut sequelam (cf. C. gent. L. III. c. 26). Similiter loquuntur **Becanus, Tanner, Schiffini, Cathrein, Blasius Beraza** et generatim Thomistae.

2) **Duns Scotus** putat, **solum** actum **volitivum,** sc. amorem, constituere essentiam metaphysicam beatitudinis; cognitionem non esse nisi conditionem sine qua non. (Cf. In 4, dist. 49, q. 2).

3) Secundum **S. Bonaventuram uterque** actus, sc. **et** cognoscitivus **et** volitivus est de essentia metaphysica beatitudinis (In 4. dist. 49, p. I, q. 4). Idem defendit **S. Albertus Magnus, Suarezius** et alii.

4) **Leonardus Lessius** docet, ad essentiam metaphysicam beatitudinis constituendam requiri **et** cognitionem **et** amorem **et** gaudium. Quam sententiam etiam nos defendimus in thesi.

Sensus theseos. 1) Cum **S. Thoma** affirmamus, actum cognoscitivum esse omnino notam primariam et principalem beatitudinis; 2) sed cum **S. Bonaventura** insistimus solum actum cognoscitivum non sufficere ad

beatitudinem essentialiter constituendam, sed requiri insuper actum volitivum, sc. amorem; 3) immo, cum **Leonardo Lessio** putamus, gaudium, utpote elementum affectivum et essentialiter distinctum a correspondenti cognitione et appetitu, etiam esse notam essentialem ipsius beatitudinis. 4) Evidens est, non esse sermonem nisi de beatitudine naturali. 5) Ideo non potest esse sermo de visione intuitiva, sed nihilominus de aliqua cognitione saltem **naturaliter** perfecta (sc. relate ad subiectum cognoscens) et consequenter de amore naturaliter **totali** et **integrali,** sc. de amore **et** effective **et** affective perfecto; est proinde sermo de illo amore, quocum eo ipso conectitur correspondens **gaudium** perfectum, vel fruitio plena. 6) Iterum dicendum, nos loqui de essentia **metaphysica,** sed illo sensu, uti supra indicatum est.

Argumentum 1. (Ex conceptu metaphysico beatitudinis) Essentia metaphysica beatitudinis est illud, sine quo beatitudo ut talis vere et legitime concipi vel cogitari nequit; **atqui** beatitudo ut talis (sc. vera et perfecta) concipi nequit nisi cum **cognitione** et **amore** et **gaudio; ergo** dicendum, illa tria elementa pertinere ad essentiam metaphysicam beatitudinis.

Ad min. 1) Iam constat ex simplici comparatione cum beatitudine **inchoativa** hac in vita. Nam vera felicitas hac in vita cogitari nequit, si adest sola Dei cognitio et nullo modo amor et gaudium correspondens; **atqui** si hoc jam valet de beatitudine imperfecta huius vitae, tunc a fortiori de vera et perfecta beatitudine alterius vitae. Ergo dicendum, beatitudinem cogitari non posse sine illo triplici actu, sc. cognoscitivo, volitivo et affectivo.

2) Beatitudo vera et perfecta ex suo conceptu metaphysico debet **satiare** et quidem vere et **perfecte;** atqui **sola** cognitio (quantumvis perfecta) sine correspondenti amore et gaudio evidenter non potest perfecte satiare; **ergo** beatitudo vera et perfecta legitime concipi nequit sine cognitione, amore et gaudio simul.

Ad quod jure merito observat **Mors:** "iam vero, qui videret Deum et vi maiore, v. gr. denegato concursu, impediretur ne Deum amaret. certe esset valde infelix, cupiens amare illud summum bonum" (cf. vol. II. n. 461).

Argumentum 2. (Ex triplici facultate animae humanae) Anima humana ex suo conceptu constat ex triplici facultate, sc. cognoscitiva, volitiva et affectiva (Fröbes, Comp. psych. spec. p. 168), quae triplex facultas est identica cum ipsa substantia animae (cf. Fröbes, ib. p. 361-362); atqui huic triplici facultati (essentialiter indenticae cum ipsa anima) etiam triplex actus correspondere debet, sc. cognoscitivus, volitivus et affectivus; ergo actus, quo anima beata essentialiter satiatur est triplex, sc. cognoscitivus, volitivus et affectivus, sc. gaudium.

Coroll. 1. Doctor Seraphicus non est adversarius noster, immo videtur plane nobiscum sentire, cum idem doceat, licet non explicite, tamen implicite. Nam affirmat, ad essentiam metaphysicam beatitudinis requiri non tantum cognitionem, sed etiam amorem, et quidem saltem relative perfectum (sc. relate ad subiectum cognoscens). Porro, quando S. Doctor loqui solet de amore perfecto, intendit amorem tum **effective** tum **affective** perfectum; atqui secundum psychologiam amor affectivus, saltem amor (benevolentiae) affective perfectus practice coincidit cum **gaudio,** dummodo obiectum amatum sit praesens. **Ergo** S. Bonaventura saltem implicite loqui videtur de triplici elemento constitutivo, sc. de cognitione amore et gaudio.

Coroll. 2. Alii, uti v. gr. **Beraza,** Cathrein, etc. omnino admittunt, triplicem illum actum requiri ad essentiam physicam, sed non quoad essentiam metaphysicam. (Cf. Beraza, De Novissimis, n. 1298). Dicunt, amorem et gaudium **fluere** ex cognitione respective visione (quia Beraza agit de quaestione dogmatica). At dicendum, expressionem "amorem fluere e cognitione" non esse legitimam. Nam actus nostri vitales non eliciuntur et proinde non "fluunt" nisi e correspondenti facultate specifica. Sic amor, utpote actus volitivus nullatenus "fluere" valet e cognitione (respective visione). Similiter dicendum de gaudio.

Cathrein sibi sequentem obiectionem facit, sc.: Per solam cognitionem anima non perfecte satiatur; atqui satiatio perfecta pertinet ad **essentiam** beatitudinis; ergo, etc. Ad quam obiectionem Cathrein **fere** ita respondet:... ad min. Dist.: satiatio perfecta pertinet ad essentiam **physicam,** conc.; **metaphysicam,** nego. (Cf. Cathrein, Etica, n.

54. Obi. 4.). At dicendum, hanc responsionem non satisfacere. Nam satiatio perfecta est non tantum de essentia physica, sed etiam de essentia metaphysica beatitudinis.

Coroll. 3. Undenam illa **discrepantia** inter diversas sententias ? — **Resp.: 1)** Multi videntur non attendere ad triplicem illam facultatem animae, de qua locuti sumus in argumento 2.° — 2) Deinde videtur discrepantia provenire ex eo, quod putant, facultates esse mera accidentia. Sed cum **S. Augustino** et cum **Fröbes** potius dicendum, esse realitates identicas cum substantia animae (cf. Fröbes, p. 361-362). 3) Finaliter dicendum, nonnullos non attendere ad conceptum essentiae metaphysicae, eo sensu, uti exposuimus.

Obi. 1. Beatitudo consistit in consecutione supremi boni; atqui hoc consequitur per actum cognoscitivum et non per actum volitivum; ergo (cf. Cathrein, n. 53).

Resp. Ad mai. Est quidem verum, sed nego, esse proprie definitionem ipsius beatitudinis. Nam beatitudo secundum definitionem est plena et perfecta **satiatio** animae. Ad min.: nego prorsus min. Nam Deum tantum cognoscendo et non amando non consequitur supremum bonum, uti patet. Ergo, etc.

Ob. 2. Ex perfecta cognitione summi boni oritur amor et gaudium; ergo (cognitio sola est de essentia metaphysica). — (cf. ib.).

Resp. 1) Nego, amorem etc. proprie "oriri" ex cognitione; sed oritur ex vountate, quae utique, cognitionem supponit. 2) Ex hoc tantum sequitur, cognitionem esse elementum primarium essentiae metaphysicae, sed non sequitur, esse unicum. 3) Iterum dicendum cum Mors: Si quis perfectissime Deum cognosceret, sed v. gr. denegato concursu, impediretur, ne Deum amaret, certe esset valde infelix. Ergo, sola cognitio ex conceptu metaphysico beatitudinis non sufficit, ad eam constituendam.

De conservatione et de concursu.

Nonnulli auctores conservationem et concursum tractare solent immediate post thesim de creatione, et jure merito, cum influxus Divinus, quo Deus res creat, sit iden-

ticus cum illo, quo easdem res in essendo conservat, uti videbimus. Porro, idem influxus vocatur "concursus", quia et inquantum a Deo praestatur ad cooperandum cum creatura in suis activitatibus. Quibus rationibus non obstantibus, elaboravimus hanc quaestionem non immediate post theses de creatione. Voluimus enim prius absolvere totum problema circa causalitatem creationis, sc. causalitatem efficientem, exemplarem et finalem, uti de facto fecimus in variis thesibus. Quibus praesuppositis agendum erit primum de conservatione, deinde de concursu. Finaliter et brevissime refutanda erit explicatio erronea quoad concursum Divinum relate ad creaturas liberas.

THESIS 39. Quodcumque praeter Deum existit, positiva et directa Dei conservatione indiget, ut esse pergat.

Notiones. **Conservatio** in genere est influxus, mediante quo aliquod ens in sua existentia perdurare valet. Potest active et passive sumi.

I. Conservatio **passive** sumpta est ipsa permanentia rei in esse dependenter a causa aliqua (cf. Rast, p. 195, n. 371).

I. Conservatio **active** spectata est ipsa actio vel ipse influxus conservans. Potest iterum sumi vel negative vel positive;

1) conservatio **negativa** est non destructio rei;

2) conservatio **positiva** est influxus, qui positive et physice influit ad rem conservandam; et potest iterum esse vel conservatio directa vel indirecta:

a) **indirecta** adest, si influxus, licet sit positivus et physicus, tamen non nisi indirecte vel mediate tantum influit ad rem conservandam, sc. removendo actionem destruentem vel alia impedimenta, vel media apta praebendo vel saltem praeparando. Sic. v. gr. pater familias tali modo influit ad vitam filiorum conservandam;

b) **directa** adest, si influxus non tantum est positivus et physicus, sed et directe et **immediate** influit in **ipsam rem conservandam;** (= influxus directus in esse rei). De quo influxu erit nunc sermo in thesi.

Adversarii. 1) **Deistae,** secundum quos Deus res semel creatas non amplius curat (cf. Rast, n. 372). 2) **Aristoteles,** secundum quem Deus nullum influxum exercere potest in mundum (cf. Stöckl, Gesch. d. Phil., p. 71). 3) **Plotinus,** qui putat, "Deum in sollicitudine non esse de sublunariis" (cf. Manser O. Pr.). 4) Nonnulli theologi recentiores, uti **Klee, Berlage,** etc. dicunt, conservationem esse inutilem pro substantiis spiritualibus et pro materia corporali (cf. Rast, ib.).

Sensus theseos. Quidquid et quomodocumque aliquid praeter Deum existit, ut ulterius existere pergat, in quolibet momento et sub quolibet respectu positivo et physico et directo Dei influxu indiget. Illo momento, quo Deus cum tali influxu cessaret, eo ipso res cessaret existere, i. e. annihilaretur. Cum Rast affirmamus, substantias immediate a solo Deo conservari, accidentia autem a Deo et a correspondenti substantia creata (cf. Rast, n. 375).

Argumentum. 1. Omnia praeter Deum existentia omnino absolute et totaliter a Deo pendent; **atqui** illa, quae totaliter a Deo pendent, positiva et physica et directa conservatione continuo indigent, ut esse pergant; **ergo** omnia praeter Deum existentia tali conservatione de facto indigent.

Ad min. Nam si pro uno saltem momento non indigerent tali influxu physico et positivo et immediato, tunc non iam totaliter a Deo penderent, et saltem illo momento sibi sufficerent, quod metaphysice repugnat. Ergo illa, quae totaliter a Deo pendent, physica et positiva et directa conservatione indigent.

Argumentum 2. Creatura influxu Divino physico et positivo et directo indiget in suo fieri; **atqui** tunc eodem lufluxu indiget in suo perdurare in esse; **ergo** creatura indiget conservatione physica et positiva et directa, ut esse pergat.

Ad min. Nam res creata in creatione, i.e. in suo fieri absolute pendet a Deo, et quidem in toto suo esse; atqui tunc res in sua perduratione aeque bene pendet a Deo in toto suo esse; ergo eodemque influxu (sc. conservativo) indiget in suo perdurare.

Argumentum 3. Illa perduratio rei in esse est aliqua entitas physica; **atqui** ratio sufficiens entitatis physicae non potest esse nisi Dei influxus physicus, positivus et immediatus; **ergo** talis de facto requiritur, ut res in esse perdurare valeat.

Ad min. Solum influxum Divinum physicum, positivum et directum sufficere, patet, nam: 1) Certo **non** sufficit **ipsa res,** cum res ex se non habeat sufficientiam pro existentia; ergo a fortiori non pro perduratione in eadem eius existentia; ergo non sufficit ipsa res. 2) **Non** sufficit ipsa **perduratio,** quia secus esset causa sui ipsius, quod metaphysice repugnat. 3) Non sufficit **alia** creatura; a) quia non habet rationem sufficientem **pro se,** ergo iterum a fortiori non pro alio, "quia nemo dat, quod non habet"; b) quia conservatio physica et positiva et directa attingit et efficit ipsum ens **ratione entis;** atqui nulla creatura tale quid praestare valet, quia secus esset causa **adaequata** illius entis, quod prorsus pugnat contra rerum creatarum abaleitatem, uti in thesi de creatione vidimus. Ergo etc. —

Coroll. De natura actionis conservativae.

"Conservatio distinguitur a creatione — a) **ratione,** Etenim creatione res incipit esse, conservatione pergit esse; creatio connotat terminum a quo negativum, conservatio positivum. Terminus productus est quidem in utraque actione idem esse rei creatae; sed in creatione est esse in primo instanti, ideoque supponitur res antea non fuisse; in conservatione est esse in sua continuatione — b) **Non distinguitur re.** Nam primo patet creationem et conservationem realiter identificari, prout sunt actus divinus in Deo existens; sed etiam terminus utriusque actionis re idem est, nimirum esse rei creatae.

Si conservatio dicitur continuata (non iterata) rei creatio, sensus non est, res creatas perpetuo cadere in nihilum atque iterum e nihilo produci, sed eandem Dei actionem influere in rem eique conservare idem esse quod creatione accepit, et hanc actionem esse talis virtutis et energiae, ut sufficeret ad rem ex nihilo efficiendam, si nondum fuisset creata" (Mors, vol. II, n.° 95).

Schol. Ex thesi sequitur, annihilationem non esse actionem aliquam positivam. Est enim nihil aliud nisi cessatio influxus Divini conservantis. Cum solus Deus talem influxum conservantem praestare valeat, immediate sequitur, creaturam nullum ens annihilare posse. Actus vitales, qui a nobis non proprie creantur, non possunt proprie dici annihilari.

Obi. 1. Opus artificiale perdurat in esse, quin continuo conservetur a suo artifice; ergo a fortiori opus naturale perdurare valet in esse, quin continuo conservetur ab artifice Divino.

Resp. Conc. antec. et nego cons., cum sit maxima disparitas. Nam 1) creatura manet semper ens **indifferens** ad existendum ex suo **intimo esse;** ideoque 2) absolute et **metaphysice pendet** a **Deo** tum quoad fieri tum quoad esse; quod evidenter non valet de opere artificiali relate ad suum artificem humanum.

Obi. 2. Forte Deus creaturae communicare potest virtutem semetipsam conservandi? — **Resp.** Nullo modo! Nam creatura eo ipso sibi sufficeret, et non iam esset ens contingens.

Obi. 3. In tantum requiritur conservatio, inquantum creatura tendit ad nihilum atqui creatura non tendit ad nihilum; ergo non indiget conservatione.

Resp. Nego mai.; nam unica ratio, quod creatura indigeat conservatione, est eius "contingentia" et absoluta **insufficientia** ad existendum. Tr. min. et nego cons.

THESIS 40. Creatura ad omnes actiones physico et immediato Dei concursu indiget.

Nexus. Iam probatum est, creaturam absolute a Deo dependere in suo esse; nunc eius absoluta a Deo dependentia probari debet quoad agere.

Notiones. Agitur de **concursu** Divino, sc. de influxu, quo Deus creaturam adjuvat in sua activitate vel operatione. Qui influxus potest esse duplex, sc. vel moralis, vel physicus;

I. moralis adest, si Deus moraliter influit, sc. dirigendo creaturas liberas mediantibus consiliis, praeceptis, minis, etc.;

II. physicus adest, si Deus physice concurrit, i.e. si efficienter influit ad effectum producendum. Qui influxus physicus iterum potest esse vel mediatus, vel immediatus;

1) **mediatus** (vel indirectus) adest, inquantum Deus influxu suo conservat causam secundam, sc. ipsam creaturam eiusque virtutem;

2) **immediatus** (vel directus) est ille influxus **physicus**, quo Deus **directe** et **immediate** attingit **et** ipsam causam creatam **et** ipsum eius actum et effectum, et quidem **totum**, per **totum decursum** ipsius actus vel activitatis. Qui concursus immediatus iterum dupliciter sumitur, sc. naturaliter et supernaturaliter;

a) **naturalis**, qui etiam vocatur concursus **generalis** (c. Phole-Gierens, Dogmatik, I. Bd., S. 380), est operatio Dei in ordine mere naturali ad ponendos actus mere naturales. Cui opponitur

b) **supernaturalis**, qui vocatur **specialis** (cf. ib.), est influxus Divinus, quo Deus concurrit ad actus intrinsece supernaturales ponendos. De quo influxu erit sermo in tractatu dogmatico, speciatim in tractatu de Gratia.

Adversarii. 1. **Durandus** negat influxum immediatum (In 2 dist. 1 qu. 5). 2) Eandem sententiam defendit **Ludovicus a Dola** (cf. Scheeben, Dogmatik, Bd. 2, S. 21 n.° 53). 3) Possibilitatem saltem ipsius influxus mere mediati admittunt **Arriaga** et **Hurtado** (cf. Rast, pg. 199). 4) Nuperrime ipse **Stufler** in S. Thoma explicando similem sententiam explicare videtur (cf. Pohle-Gierens, S. 379).

Sensus theseos. 1) Loquimur non de influxu morali tantum, sed de influxu **physico** et quidem non solo mediato sed vere **imediato** et directo, et quidem non de concursu supernaturali sed **naturali**. 2) Non est quaestio modi sed tantum quaestio **facti**. 3) Quibus suppositis dicimus: **Quidquid** actualitatis et perfectionis inest in actione et in effectu creaturae, **et a Deo** tamquam a principio **primario physice** et **immediate** et **effective** procedit, ita ut **tota** actio et **totus** effectus physice et immediate

et intrinsece a Deo pendeat. Quare cum Doctore Angelico sentimus, qui affirmat: "Patet, quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed **totus** ab **utroque** secundum **alium** modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus" (cf. Contr. Gent. L. III. C. 70, pg. 388).

Nota: S. Thomas in illo exemplo de causa instrumentali et principali evidenter non vult affirmare, esse omnino paritatem cum nostro casu. Vult tantum afferre aliquam bonam illustrationem.

Argumentum 1. Creatura in qualibet activitate sua indiget positivo et physico influxu alterius et quidem pro **toto decursu** et pro **qualibet entitate** eius actus vel activitatis; **atqui** talis influxus, utpote plane immediatus a solo Deo praestari valet; **ergo** creatura positivo et physico et immediato Dei influxu vel concursu indiget ,ut agere valeat.

Ad mai. Est evidens, cum creatura **totaliter** et sub omni respectu dependeat ab alio; proinde **nequit** esse causa **adaequata** ipsius actus, quantumvis parvi, ideo pro **toto** decursu et pro **qualibet** entitate **cuiuscumque** actus vel activitatis indiget influxu positivo et physico alterius.

Ad min. Est aeque evidens, cum creatura quantumvis perfecta **non** nisi **mediate** vel indirecte influere valeat in activitatem alterius creaturae. Ergo ille influxus immediatus, quo quaelibet creatura ad quamlibet activitatem suam indiget, non potest praestari nisi a **solo Deo ipso**.

Argumentum 2. Actio non potest esse perfectior ipso subiecto agente; **atqui** subiectum creatum totum et totaliter pendet a Deo; **ergo** etiam eius actio vel activitas tota et totaliter pendet a Deo, sc. indiget Dei influxu phyisco et immediato, ut fieri valeat.

Argumentum 3. Omnis operatio creaturae est aliquod ens positivum et physicum, licet accidentale tantum; **atqui** omne ens positivum et physicum indiget influxu Di-

vino et quidem immediato; **ergo** Deus ad omnes creaturarum operationes immediate concurrere debet, ut actio fieri possit.

Ad min. Nam ad Dei perfectionem spectat, ut quodlibet ens perfectissime ab ipso dependeat; atqui perfectissima dependentia est immediata; ergo requiritur dependentia immediata, sc. per influxum immediatum.

Coroll. 1. Secundum aliquos argumentum **secundum** nimium probare videtur. Formulant sequentem syllogismum, sc.: Actio non superat subiectum agens: **atqui** saltem subiectum agens spirituale (uti anima humana) immediate a **solo Deo** producitur; ergo etiam **actio** ipsius subiecti spiritualis a **solo Deo** producitur, et sic sequitur occasionalismus, saltem quoad mundum spiritualem; atqui occasionalismus est reiciendus; ergo etiam illud argumentum non valet (ex quo talis occasionalismus sequi debet).

At contra hanc obiectionem dicendum: Ortum ducere a Deo per creationem non est plane identicum cum dependentia totali a Deo. Utique, ens a **solo Deo** immediate productum eo ipso absolute et totaliter et immediate a Deo pendet; sed **non** vice-versa; scilicet, potest aliquid absolute et immediate et totaliter a Deo pendere, (uti accidens), **quin** a **solo Deo producatur.** Ideo illa obiectio contra argumentum secundum theseos caret fundamento.

Caroll. 2. Supposita nostra thesi dicendum est:

1) In omni actione creaturae distingui debent duo agentia, sc. pricipium Divinum et principium creatum. Nihilominus non nisi una sola **actio** adest, sc. terminative sumpta. Quae numerice una actio dependet **et** a Deo **et** a creatura, et quidem ab utroque principio totaliter, non totalitate causae, sed totalitate effectus, uti supra vidimus.

2) Proinde sensu stricto loquendo, creatura non est merum instrumentum Dei. Instrumentum enim non agit nisi determinatione ipsius causae principalis. Creatura autem etiam agit determinatione propria ideo est vera causa principalis, licet non primaria sed tantum secundaria.

3) Nihilominus in hac sua activitate creatura vocari potest instrumentum sensu latiori, sc. quia non attingit neque attingere potest effectum ratione entis; praecise propterea ad quamlibet actionem suam propriam indiget illo influxu vel concursu Divino, de quo fuit sermo in thesi.

4) Cum actio creaturae tota sit a Deo et tota a creatura, praecise propterea dicendum erit, **neutram** virtutem **totam** illam virtutem exercere, quae sola sit sufficiens ad determinatum effectum causandum. Sed ex hoc non sequitur aliqua imperfectio ex parte Dei. Potius contrarium! Praecise quia Deus est ens infinite perfectum, non potest esse proprie causa eliciens ipsius actus creaturae. Ideo Deus v. gr. non potest ipse crescere, moveri, etc. sed potest creare entia, quae crescere, sese movere etc. possint, sed non nisi absolute dependenter ab ipso Deo, utpote a causa prima et suprema.

5) Ex quo sequitur, falsum esse quod nonnulli dicunt, sc. "electionem qua electionem provenire a **sola creatura**". — Quomodo enim in tali casu adhuc maneret abaleitas ipsius creaturae in suo actu libero? — Etiam in sua libera electione qua tali creatura evidenter totaliter a Deo dependet. Immo, quo perfectius et altius opus humanum, eo magis vocari potest et debet opus etiam Divinum, cum in tali casu adhuc clarius et magnificentius manifestetur Dei adjutorium et auxilium. Altera ex parte falsum esset, si quis putaret, tali modo creaturae liberam electionem evanescere. Nam aliud est dicere, aliquid fieri a Deo solo, et aliud est dicere, aliquid fieri a me, sed tamen absolute dependenter a Deo, et quidem secundum totam entitatem actus et per totum decursum operationis et electionis.

6) Proinde patet, non recurrendum esse ad "praemotionem-physicam" ipsius Bannez ad Dei supremum et absolutum dominium super omnes creaturas salvandum.

Schol. Circa concursum "oblatum" addere volumus verba ipsius Hontheim, sc.: "Ex his... sequitur, concursum oblatum dici posse concursum praevium. Quidam auctores, ut Scheeben, putant, praeter oblationem concursus aliam adhuc haberi motionem praeviam indiffe-

rentem, qua Deus causas liberas ad actus suos movet. Non negamus talem motionem praeviam interdum a Deo dari, sed censemus, eam non esse necessariam neque semper a Deo dari, si agitur de actibus naturalibus. Profecto ad actus supernaturales propter eorum supernaturalitatem gratia praeveniens requiritur, quae est concursus quidam praevius supernaturalis non praedeterminans vel pars totius concursus oblati" (Hontheim, theod. pg. 303).

Obi. 1. Una actio non potest simul totaliter causari a duobus operantibus.

Resp. Dist.: non simul sub eodem respectu, conc.; non sub diverso, nego.

Obi. 2. Saltem ut causa eliciens creatura est unica causa; ergo non provenit actio ab utroque principio totaliter.

Resp. Dist. antec.: ita, ut semper et absolute dependeat a Deo in electione, conc.; secus nego. par. dist. cons. —

Obi. 3. Actionem simul determinari et a Deo et a creatura est contradictio.

Resp. Nego, nos tale quid affirmare. Determinatio provenit a creatura, ipso Deo "concurrente", eo sensu, uti explicatum est.

Obi. 4. Secundum Molinismum Deus concurrit caeco modo, quod est absurdum.

Resp. Dist. antec.: in signo primo, sc. in concursu oblato, trans.; in signo secundo, sc. in concursu collato, nego. Ergo nego cons.

Obi. 5. Secundum thesim Deus eodem modo concurrit ad actum bonum et malum, quod certe est absurdum.

Resp. Dist. antec.: quoad ipsam entitatem physicam actus, conc.; quoad ipsam malitiam, nego; par. dist. conc. etc.

Obi. 6. Secundum nostram explicationem nobis debetur, ut honeste vivamus; atqui talis sententia pugnat contra humilitatem; ergo reicienda.

Resp. Dist. mai.: unice vel saltem primarie, nego; etiam et quidem secundarie, conc.; contrad. min. et nego cons.

Obi. 7. Suppositis omnibus requisitis naturalibus, facultas eo ipso agere valet; ergo non requiritur concursus.

Resp. Dist. antec.: supposito ipso concursu, conc.; sine concursu, nego. Nego consequens.

Obi. 8. Causa, quae sine influxu alterius agere nequit, est instrumentalis tantum; ergo supposita thesi nostra causalitas creata esset tantum instrumentalis.

Resp. Dist. antec.: si non posset agere determinatione vere propria (licet semper dependenter), conc.: si potest tamem agere propria determinatione, nego. Par. dist. cons.

Obi. 9. Causalitas duorum ostendit insufficientiam utriusque.

Resp. Dist.: si sunt eiusdem ordinis, conc.; si diversi ordinis, ita ut unum alteri sit absolute subordinatum, nego.

THESIS 41. Deus actiones liberas creaturarum non movet neque praedeterminatione neque condeterminatione physica.

Nexus. In thesi praecedenti fuit sermo de influxu physico, quo Deus influit in actiones creaturarum; et fuit tantum quaestio **facti.** Nunc quaeritum de **modo,** quo Deus influit in ipsas creaturarum actiones **liberas**.

Notiones. In thesi est sermo de Bañezianismo et Scotismo. Cum de utraque theoria, praesertim de priori, iam tractatum sit in alia thesi, breviter hic explicare volumus ipsos conceptus.

1) **Bañezianismus** est systema, secundum quod Deus ab aeterno praedeterminat creaturam liberam ad unum, et quidem physice, ita ut metaphysice repugnet non ponere illum actum vel ponere alium actum. Ita **Bañez, Didacus Alvarez, Ledesma, Goudin** et multi alii. Porro, secundum illos distinguere debemus inter ipsum Divinum decretum praedeterminans et ipsam praemotionem physicam.

a) **Decretum Divinum praedeterminans** est illud, quo Deus ab aeterno et absolute determinatam creaturae actionem decrevit.

b) **Praemotio physica** est influxus Divinus, quo Deus de facto applicat voluntatem creatam ad determinatam actionem. Est proinde influxus ,quo Deus praevie et active et physice et intrinsece movet causam secundam ad agendum. (Similiter v. gr. Goudin). Quae praemotio, uti aiunt, **"impellit"** et determinat ad actionem necessariam, si agitur de creatura non-libera; sed determinat ad actionem liberam, inquantum agitur de creatura libera.

2) **Scotismus** vel **condeterminismus** est systema, secundum quod Deus non simpliciter concurrit eo sensu, uti nos explicavimus, neque simpliciter praedeterminat sed tantum "condeterminat"; i.e. et effectio et determinatio (vel electio ut talis) provenit et a Deo et a creatura et sic ortum est adagium: **"Utraque ab utroque"**; sc. utraque entitas, i.e. et effectio et determinatio ab utroque principio, sc. et a Divino et a principio creato. (Cui explicationi opponitur nostra secundum quam effectio utique provenit simul ab utroque principio, determinatio autem ut talis a creatura, quamvis absolute dependenter a Deo, uti alibi vidimus).

Sensus theseos. 1) In parte I.ª refutabitur praemotio physica, licet breviter tantum, cum in thesi de Bañezianismo et Molinismo idem fusius probatum sit, saltem in sua directa relatione ad Divinam praescientiam explicandam. In parte II.ª probandum erit, etiam "condeterminationem" admitti non posse.

2) Thesis est tantum negativa, i.e. refutantur aliae explicationes, quin nostra explicatio positive proponatur, cum hoc sufficienter fieri videatur in illa thesi de Molinismo.

3) Finaliter dicendum, nos tantum loqui de influxu Divino relate ad actiones liberas creaturarum.

Pars I. Deus actiones liberas creaturarum non movet praedeterminatione physica.

Argumentum 1. In thesi de Bañezianismo iam vidimus, praemotionem physicam salvare non posse liberta-

tem creaturae; **atqui** talis sententia evidenter non est legitima; **ergo** praemotio physica admitti nequit.

Ad mai. Verum est, adversarios opinari, sese omnino salvare libertatem. Utique libertatem alio sensu sumunt quam nos. Dicunt, essentiam actus liberi consistere in "indifferentia obiectiva judicii". At dicendum, "judicium **indifferens**", esse tantum **"conditionem sine qua non"**, sed **nullo** modo ipsam **essentiam** libertatis. Essentiam libertatis consistere in ipsa **"indifferentia activa"** voluntatis invicte constat ex psychologia speculativa, uti in alia thesi ostendimus. Insuper dicendum, nostrum conceptum de libertate concordare com **persuasione** universali hominum et cum nostra propria **conscientia.** Denique notandum, alium modum omnino legitimum excogitari non posse.

Argumentum 2. Praemotio physica supponit decreta Divina subiective absoluta et obiective conditionata; **atqui** talia decreta non videntur existere; **ergo** praemotio physica videtur supponere aliquid, quod non existit ideoque est sententia non admittenda.

Ad min. Nam 1) intelligi nequit, quomodo Deus debeat facere decreta circa res quae de facto numquam fiunt (sc. inquantum est sermo de futuribilibus). 2) Videtur, decreta subiective absoluta de facto non posse esse obiective conditionata, sc. eo sensu, uti adversarii explicant. Nam, si Deus semel ab aeterno et absolute quid statuit pro determinato momento futuro, tunc non iam potest vocari "obiective conditionatum", uti patet.

Pars II. Deus in actiones liberas creaturarum non influit condeterminatione.

Argumentum. Secundum condeterminismum utraque entitas, sc. et effectio et determinatio provenit ab utroque principio, sc. et a Divino et a principio creato; **atqui** haec explicatio admitti nequit; **ergo condeterminismus** reiciendus est.

Ad min. Nam, si Deus condeterminaret ipsum actum liberum creaturae, tunc esset de facto causa **eliciens** actus creati, quod plane negandum est. Nam, licet Deus si creatu-

rae intime praesens, et ad omnes ipsius creaturae actus physice et immediate concurrat, uti vidimus, tamen **non** est causa **formaliter eliciens** actus vitalis ipsius creaturae, praecise quia non est identicus cum natura creata. Ergo explicatio illa admitti nequit.

Coroll. Supposita thesi nostra nihil remanet nisi concursus simultaneus et quidem eo sensu, uti exposuimus in thesi de Molinismo. **Syncretismus** proinde etiam non videtur admitti posse, saltem secundum illam partem, in qua fundatur supra systema Bañezianum. **Congruismum** essentialiter nobiscum sentire, saltem quoad simultaneitatem ipsius concursus, etiam vidimus in illo conspectu historico circa illas 10 sententias.

Schol. Auctores, uti v. gr. **Hontheim** (p. 307) et alii quoad primam partem theseos afferre solent argumentum de Dei **sanctitate** contra praemotionem physicam. At, hoc argumentum non stricte probare, iam ostendimus in Corollario 1.° post thesim de Molinismo et Bañezianismo.

Obi. 1. Existit adagium, secundum quod "motio moventis praecedit motum mobilis tum natura tum causalitate"; **ergo** Deus causas secundas etiam liberas praemovet.

Resp. Dist. antec.: Valet de causis necessariis, conc.; de liberis, subd.: eo sensu, uti praemotio-physica Bañeziana explicat, nego; nostro sensu, sc. facta distinctione inter concursum oblatum et collatum, conc. Ergo etc.

Obi. 2. Negata praemotione physica, videtur negari supremum et absolutum Dei dominium.

Resp. Non esse periculum contra supremum dominium Divinum, iam alibi probatum est, cum electio libera creaturae omnimode pendeat a Deo etiam in sententia nostra.

Obi. 3. Condeterminismus optime salvat et libertatem creaturae et Dei dominium.

Resp. Conc. omnino; sed nego esse possibilem propter alias rationes, uti vidimus.

THESIS 42. Miracula fieri possunt.

Nexus. In thesibus de creatione, conservatione et de concursu ostendimus absolutam rerum omnium dependentiam a Deo. Quae dependentia speciali modo elucet ex factis miraculosis.

Notiones. Debemus distinguere inter mirum et miraculum. Omne miraculum est mirum sed non vice-versa, sc. non omne mirum est miraculum.

A. **Mirum** vocari solet illud, quod praeter omnem exspectationem fit, vel illud, cuius causa omnino occulta est (cf. Frank, Cosmol., p. 147); v. gr. facta metapsychica.

B. **Miraculum** est factum Divinum extraordinarium et sensibile. Singula elementa definitionis breviter explicantur:

I. **"Factum"**; sc. aliquod opus sive physicum sive morale. V. gr. sanatio aegroti est factum physicum. Conversio peccatoris non est merum factum physicum, sed insuper factum morale.

II. **"Divinum"** (vel **supernaturale**); Vocatur supernaturale, cum viribus mere naturalibus fieri nequeat, sive quoad **substantiam** facti, sive saltem quoad **modum,** quo hic et nunc fit. Notandum, omne supernaturale esse eo ipso praeternaturale, sed non vice-versa; sc. non omne praeternaturale erit eo ipso supernaturale vel Divinum. Ideo dicendum:

1) In conceptu miraculi **excluditur diabolus** sive ut causa principalis, sive ut causa instrumentalis. Proinde si diabolus facit aliquod opus mirum superans facultates nostras humanas naturales, sive Deo imperante sive Deo saltem permittente, tunc tale opus evidenter non erit miraculum sed opus mere diabolicum. Nam, licet opus ut tale sit forte physice integraliter bonum, nihilominus **intentio** diaboli erit semper mala. Propterea tale opus semper vocari debet malum secundum adagium morale "bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu". Quare non obstante concursu Divino (qui evidenter semper requiritur ad actum physicum) opus diabolicum numquam vocari potest "Divinum" ideoque numquam verum miraculum, ne sensu latiori quidem; quod ultimum speciatim inculcandum est in oppositione ad opera mira alicuius **spiritus boni,** quae

vocari possunt vera miracula, licet non sensu strictissimo, uti statim videbimus.

2) In conceptu miraculi non excluditur opus mirum alicuius **spiritus** boni (uti v. gr. alicuius angeli vel etiam forte animae beatae etc.), dummodo superet facultates humanas naturales. Aliis verbis, non esset contra nostrum conceptum miraculi, si quis diceret, etiam angelum **bonum** posse esse causam **principalem** miraculi (semper supposito concursu Divino, uti patet). Sed in tali casu **non** esset sermo de miraculo sensu **strictissimo**, sed sensu minus stricto.

3) Ut sit miraculum sensu absoluto et **strictissimo** requiritur, ut **solus Deus** agat et agere possit tamquam causa **principalis physica**, aliis verbis, ut Deus sit **unica** causa **physica** ipsius facti miraculosi. Evidenter non repugnat, creaturam intrare posse tamquam causam moralem, v. gr. mediantibus precibus vel orationibus, etc.; in thesi nostra **primarie** erit sermo de opere Divino sensu **strictissimo** et **secundarie** de opere Divino sensu **minus** stricto. Ut sit verum miraculum, non sufficit, ut sit strictissime Divinum, sed insuper debet esse opus extraordinarium vel "insolitum".

III. **"Extraordinarium"** vel **"insolitum"**; vult dici, eventum vel opus fieri **extra** ordinem (sive biologicum sive physicalem), ut talem generatim a Deo statutum; aliis verbis, opus fieri contra rerum dispositiones, sive biologicas, sive physicales. Proinde "extraordinarium" in nostro casu **non** est identicum cum **"raro"**. V. gr. Si Deus quotidie et quidem in eadem regione mortuos ad vitam revocaret, evidenter esset semper verum miraculum. Ex dictis etiam clare elucet, extraordinarium non esse identicum cum supernaturali. Nam potest aliquod opus esse vere supernaturale vel divinum, quin sit extraordinarium. Sic v. gr. creare animas humanas easque infundere corporibus, est opus supernaturale vel Divinum per excellentiam, cum tale opus superet omnes omniumque creaturarum energias. Tamen non fit contra ordinem naturalem (sc. biologicum) a Deo statutum; ideoque numquam vocatur miraculum.

IV. **"Sensibile"**; quod est ultimum elementum in definitione; sc. ut sit verum miraculum sensu philosophico, debet percipi posse et quidem naturaliter. Sic v. gr. La-

zarus antea mortuus et sepultus et postea redivivus ut talis ab omnibus facillime videri et cognosci potuit. Sed v. gr. Transsubstantiatio in SS.ª Eucharistia, licet sit factum Divinum et plane extraordinarium, tamen nostro sensu philosophico non erit miraculum, cum naturaliter percipi nequeat, sed tantum per fidem supernaturalem.

Adversarii. 1) Omnes **atheistae** et **materialistae,** qui simpliciter negant Dei existentiam et proinde logice negare debent possibilitatem miraculorum.

2) Omnes **deistae** et **rationalistae,** qui quidem Dei existentiam admittunt, sed omnem extraordinarium Dei influxum ad extra negant, uti v. gr. Strauss, Paulsen, Harnack, Pfleiderer, etc. (cf. Cotter, Cosmol., p. 340).

3) **Pantheistae** et **fatalistae** et omnes illi, qui defendunt, leges naturales esse absolute necessarias et proinde prorsus immutabiles, uti v. gr. Spinoza, Haeckel, Renan, etc. (cf. Saintonge, Phil. Nat. p. 486).

4) Omnes **positivistae,** qui a priori omnia facta metempirica ut impossibilia reicere solent (cf. Pesch, n. 7-12; cf. Cotter, p. 341).

5) Multi **haeretici,** uti v. gr. Wicleff, Calvin, etc. Deinde **modernistae,** uti Le Roy, Loisy, Tyrrell, etc. Praeterea Cartesius, Hegel, Taine et alii; (cf. ib.)

6) Alii, qui putant, Deum propter suam infinitam et absolutam immutabilitatem non posse mutare leges (cf. Herder, Lexikon, Bd. 12, p. 1290).

7) **Kant** et **Kantiani,** secundum quos miraculum esset contradictio in terminis.

8) **Schola Bergsoniana,** secundum quam miracula non sunt exceptiones a legibus, cum hae de facto non sint universales, sed sunt mera facta particularia, quae realitatem deformant (cf. Rast, n. 407).

9) **Alii** non videntur negare miracula ut facta supernaturalia, sed falsam explicationem proponunt, uti v. gr. **Leibniz,** secundum quem Deus a mundo condito statim aliqua quodammodo germina miraculorum rebus indidisset, quae per decursum temporis in miracula evolverentur. Similiter loqui videtur **Bonnet,** qui duplex genus legum physicarum distinguit, sc.: alterum, quo rerum cursus ordinarius, alterum, quo facta insolita regantur (cf. Frank, Cosmol., p. 149).

10) Multi **occultistae hodierni,** qui putant, omnia ut miracula enarrata explicari posse quadam arte magica, (cf. ib.).

Sensus theseos. 1) Nolumus dicere, omnia mira vel mirabilia eo ipso iam esse vera miracula. Nam a) possunt esse opera **mere naturalia,** quae proveniunt e viribus usque hodie forte plane ignotis; b) aliquando possunt esse opera **diabolica,** et ut talia forte non statim dignoscenda. Praecise propterea (et propter alias rationes) Auctoritas Ecclesiastica maxima cum prudentia procedere solet in factis miraculosis examinandis. 2) Attamen dicendum, **possibilia** esse certa facta, quae **non** possint attribui viribus **naturalibus** neque influxui **diabolico.** Aliis verbis: **Possibilia** sunt certa facta extraordinaria et omnino sensibilia, quorum causa principalis physica, immo, quorum causa **unica** (sc. physica) **debet** esse **Deus** et tunc habetur **miraculum** sensu **strictissimo** sumptum, de quo **primarie** erit sermo in thesi, uti iam notatum est. Deinde non negamus, aliquem spiritum **creatum** bonum posse esse causam **secundariam** sed **principalem** in aliquo facto extraordinario et ut tali perceptibili. In quo casu esset quaestio de vero miraculo, sed tamen sensu minus stricto, de quo **secundarie** erit sermo in thesi, uti etiam notatum est.

Argumentum. Miracula sunt possibilia, si nihil obstat, neque ex parte legum physicarum, neque ex parte Dei; **atqui** ex neutra parte obstat; **ergo** miracula sunt possibilia.

Ad mai. Disjunctio est omnino completa, cum aliud obstaculum vel impedimentum excogitari nequeat.

Ad min. I. Non repugnat ex parte legum physicarum. Nam leges physicae vel naturales non sunt absolute sed tantum "contingenter" necessariae et proinde contingenter insunt ipsis rebus contingentibus, uti clare probatur in Cosmologia (cf. **Frank,** p. 141-147 et **Haas,** Cosmol., p. 146-157).

II. **Non repugnat ex parte Dei.** Nam miraculum est contra **nullum attributum** Dvinum; non pugnat contra potentiam, neque contra immutabilitatem, neque sapientiam, etc.

1) Non pugnat contra **potentiam** Dei. Nam ipse Deus condidit leges naturales et quidem liberrimo modo, uti elucet ex thesi de Dei libertate; ideoque eas abrogare posset ad libitum, et a fortiori potest facere exceptiones a lege, uti de facto facit patrando miracula.

2) Non est contra Dei **immutabilitatem,** quia Deus ab aeterno uno eodemque simplicissimo actu omnia statuit et ipsam legem et ipsam exceptionem a lege.

3) Non est contra Dei **sapientiam.** Esset tantum contra Dei sapientiam, si esset contra supremam finalitatem; **atqui non est contra** supremam finalitatem; **ergo. Probo minorem:** Nam suprema finalitas est **sola Dei gloria,** sive obiectiva, sive formalis. Haec autem miraculis non tantum non minuitur, sed potius augetur et optime consequitur et quidem a) **gloria Dei obiectiva:** quia miraculum est clarissima manifestatio Dei, eiusque omnipotentiae, sapientiae, bonitatis, misericordiae, etc.; b) optime consequitur gloria Dei externa **formalis:** quia per miracula homo generatim facillime moveri potest ad infinitam Dei excellentiam magis ac magis cognoscendam et agnoscendam, in quo reapse consistit gloria externa formalis.

Sic probatum est, miraculum non pugnare contra attributa Divina supra enumerata; et sic omnia alia attributa considerari possent et conclusio esset semper eadem, sc. miraculum non pugnare contra perfectiones Divinas.

Coroll. 1. Ex dictis in thesi sequitur, non omnia miracula esse eiusdem ordinis et dignitatis. Sic miracula, quae facultates creatas excedunt quoad **substantiam** facti erunt altioris ordinis illis, quae facultates creatas tantum quoad **modum** superant. Deinde distinguendum est inter factum **strictissime** Divinum et non strictissime Divinum, uti explicavimus. Verum est, secundum **S. Thomam** non nisi opus strictissime Divinum vocari posse miraculum, (quam sententiam generatim scholastici sequi solebant). Ita **Doctor Angelicus** loquitur in S. theol. I, q. 110, 4. Ibi negat, angelos miracula patrare posse. Idem affirmat in De potent. q. 6, a. 3, ubi sibi proponit problema: Utrum creaturae spirituales sua naturali virtute possint miracula facere" (ib. p. 295). Affert 17 obiectiones, quas singillatim solvit et hanc thesim proponit: "Angeli sua naturali

virtute miracula facere non possunt" (ib. p. 298). Quam thesim tribus paginis explicat et probat concluindo his verbis: "Sic ergo patet quod Angeli boni vel mali virtute naturali miracula facere non possunt; sed quosdam mirabiles effectus, in quibus eorum operatio est per modum artis" (ib. p. 301). Cum quibus verbis Angeli Scholarum omnino concordamus, inquantum opera diabolica reicit ut vera miracula. Opera mirabilia autem ipsius Angeli boni videntur vocari posse vera miracula, licet sensu minus strictu, uti in thesi ostendimus. Qua in re non pauci scholastici nobiscum sentire videntur secundum verba ipsius **Frank**: "Quare multi auctores iam consueverunt illa quoque facta vocare miracula, quae certo cognoscuntur superare facultatem et ordinem saltem mundi visibilis, quaeque nomine et mandato Dei facta esse convincuntur, etsi non certo constet opus superare facultatem omnis creaturae" (cf. Frank, Cosmol., p. 149).

Coroll. 2. Quoad miraculum **intellectuale** et miraculum **morale** ita scribit Cotter: "Miraculum **intellectuale** est scientia praeter cursum ordinariae activitatis humanae divinitus comparata. Aliis verbis, miraculum intellectuale est scientia quam homo sibi non potest acquirere viribus naturalibus, et quae debetur speciali influxui divino. Talia sunt: a) certa et definita praecognitio eventus futuri, praesertim liberi; b) scrutatio cordium, i. e. cognitio clara et certa cogitationum et volitionum alterius hominis; c) cognitio rerum absentium; d) eximia sapientia etc.... Miraculum **morale** est effectus ordinis moralis (voluntatis) praeter cursum ordinarium activitatis humanae a Deo patratus. Aliis verbis, miraculum morale est sanctitas quam homo sibi acquirere non potest conatu naturali, et quae debetur influxui divino" (Cotter, Cosmologia, p. 344-345).

Notandum: Licet verba ipsius Cotter sint secus optima, nihilominus aliqua modificatione indigere videntur quoad ultimum punctum. Cotter ita sese exprimit, ac si homo viribus mere naturalibus saltem **aliquam** sanctitatem (supernaturalem) acquirere posset. Hoc esse plane impossibile invicte constat ex tractatu dogmatico "De Gratia". Ideo definitio melius ita sonaret: Miraculum morale est sanctitas extraordinaria et plane heroica quam

homo sibi acquirere non potest, auxiliis vel gratiis ordinariis, licet sint auxilia supernaturalia, quae sanctitas heroica proinde debetur influxui divino supernaturali extraordinario.

Schol. 1. Quoad **finalitatem miraculi** Saintonge ita scribit: "Finis miraculi nequit esse bonum naturae physicae, nec naturae moralis ordinariae. Nam, legibus physicis et moralibus satis provisum est. Finis igitur miraculorum ad ordinem supernaturalem spectat: est veluti sigillum divinitatis approbantis aliquid spectans ad ordinem supernaturalem" (Saintonge, Summa Cosmologiae, p. 488). In quibus verbis habetur etiam ratio principalis, cur non pauci adversarii negare conantur possibilitatem miraculorum. Nimirum, si miraculorum possibilitatem agnoscerent, deberent eo ipso agnoscere Dei existentiam, quod tamen permulti nolunt. Sed potius miracula omnia tamquam "fabulas" spernere solent, uti Eichhorn, Bruno Bauer, Strauss et alii (cf. Frank, p. 149).

Obi. 1. Deus leges naturales necessario intelligit; ergo necessario fiunt et sic miracula sunt impossibilia.

Resp. Dist. antec.: necessario intelligit ut necessarias, nego; necessario illas intelligit ut contingentes, conc.; par. dist. cons.

Ob. 2. Miracula sunt contra rerum finalitatem; ergo contra Dei sapientiam.

Resp. Dist. antec.: contra finalitatem ultimam et supremam, nego; contra proximam, subd.: ita ut non adsit motivum rationabile, nego; ita ut sit motivum prorsus rationabile, conc. Ideo nego cons.

Obi. 3. Miracula sunt exceptiones a lege; atqui natura tales non admittit (cf. Renan); ergo miracula non sunt admittenda.

Resp. Conc. mai. et dist. min.: suppositis viribus tantum empiricis, conc.; suppositis viribus Divinis, nego; ideo nego cons.

Obi. 4. Leges naturales sunt ipsa decreta Divina: atqui haec mutari nequeunt; ergo neque leges physicae mutari possunt.

Resp. 1) Dist. mai.: entitative, nego; terminative, conc.; contrad. min: entitative, conc.; terminative, nego;

ideo nego cons. vel par. dist. cons. — 2) Deinde negandum est, per miracula ipsas leges mutari; agitur enim de exceptione a lege.

Obi. 5. Secundum dogmaticos SS.ª Eucharistia est miraculum fundamentale; atqui secundum philosophos non est proprie miraculum; ergo philosophi dogmaticis contradicunt.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: non secundum definitionem stricte philosophicam, conc.; non eo sensu, uti dogmatici loquuntur, nego; ideo nego cons.

Ad expl.: Opus insolitum et Divinum in SS.ª Eucharistia mere naturaliter cognosci quidem nequit; tamen cognoscitur per fidem. Sic recte vocatur miraculum dogmaticum. vel sensu dogmatico.

Obi. 6. Deus nequit simul idem velle et simul idem nolle; atqui patrando miracula simul legem naturalem vellet et simul nollet; ergo.

Resp. Dist. mai.: sub eodem respectu, conc.; sub diverso respectu, nego; contradist. min.: simul vellet et simul nollet sub eodem respectu, nego; sub diverso, conc.; ideo nego cons.

THESIS 43. Miracula ut talia saltem aliquando certo cognosci possunt.

Nexus. Possibilitate miraculorum probata, statuitur nunc eorum cognoscibilitas, et quidem naturalis.

Notiones. Quid sit miraculum iam explicatum est in thesi praecedenti. In hac thesi insuper erit sermo de triplici veritate, sc. historica, philosophica et theologica.

1) Veritas **historica** adest, si de facto certo constat eventum ita accidisse, uti narratur; v. gr. resurrectio Domini Nostri vel resuscitatio Lazari, etc.

2) Veritas **philosophica** adest, si constat, factum narratum superare vires naturales sive quoad substantiam sive saltem quoad modum. Quod v. gr. clarissime constat de resurrectione Domini.

3) Veritas **theologica** adest, a) si invicte constat, Deum **solum** posse esse causam efficientem physicam il-

lius facti, vel b) si saltem certo constat, **non** esse opus **diabolicum,** sc. diabolum non intrare neque ut causam principalem neque ut causam instrumentalem physicam.

Adversarii. 1) Nonnulli negant, veritatem **historicam** facti miraculosi umquam constare posse, cum negent valorem testimonii sensuum respective aliorum hominum in casu de miraculis. Ita Locke, Hume, Rousseau, **Harnack, etc.**

2) Alii admittunt quidem factum historicum constare posse, negant tamen nos certo scire posse num factum excedat vires naturae. Qui proinde negant possibilitatem cognoscendi veritatem **philosophicam.** Quare post **Charcot,** medicum Gallum, omnia mira imaginationi vel suggestioni adscribere conabantur. Alii eventus miraculosos viribus occultis naturae attribuunt. **Spinoza, Kant** et alii affirmant, facta historica aut explicanda esse per causas naturales aut suspendendum esse iudicium.

3) Alii negant, umquam constare posse veritatem **theologicam** (cf. Cotter, Cosmologia, p. 349-350; et Haas, Cosmologia, p. 164).

4) Non pauci theologi protestantes miracula biblica modo allegorico explicare vel ex textu sacro simpliciter eliminare conantur. (Cf. Rast, p. 221, n. 418).

Sensus theseos. 1) Non est quaestio facti sed quaestio **possibilitatis** tantum, sc.: per se nolumus dicere, hoc vel illud factum determinatum esse miraculum vel ut tale hic et nunc cognosci. Sed loquimur in **abstracto,** i.e. affirmamus, ad verum miraculum ut tale dignoscendum nihil obstare neque ex principiis philosophicis, neque ex ordine empirico. Aliis verbis dicimus, constare posse de triplici illa veritate et proinde cognosci posse, utrum aliquod phaenomenon sit verum miraculum an non. 2) Concedimus in praxi caute procedendum esse, cum homo in tali casu falli possit. 3) Libenter etiam concedimus, in multis casibus esse forte impossibile, pervenire ad claram et certam cognitionem, utrum sit verum miraculum, an non. 4) Negamus autem, numquem et in nullo casu cognosci posse, utrum sit verum miraculum an non. Sic. v. gr. si semel constat, determinatum hominem certo mortuum esse et certo constat, eundem hominem esse redivivum, tunc

non iam adesse potest dubium rationabile de vero et proprie dicto miraculo.

Argumentum. Miracula ut talia certo cognosci possunt, si certo constare potest de triplici veritate, sc. historica, philosophica et theologica; **atqui** de hac triplici veritate constare potest; **ergo** miracula ut talia cognosci possunt.

Ad min. 1) Constare potest de **veritate historica.** Nam agitur de facto sensibili, saepe facillime perceptibili. Proinde de facto historico ut tali, omnibus rite examinatis, saepissime haberi potest certitudo vera, sive physica, sive saltem moralis. Quod ceteroquin iam ex Critica invicte constat.

2) Constare potest de **veritate philosophica.** Nam aliquando certo scire possumus, utrum determinantum factum historicum et ut tale probatum, superet vires naturales, an non. Sic. v. gr. ex Evangeliis, utpote libris prorsus historicis, constat de resurrectione Domini et certo constat, tale factum superare omnes vires et energias naturales.

3) Constare potest etiam de **veritate theologica,** sc. factum explicari non posse per interventionem diabolicam. Ita in casu de resurrectione Domini non solum excludi debet factum diabolicum, sed etiam interventio cuiuscumque spiritus boni ut insufficiens explicatio excludi debet. Proinde in hoc exemplo nihil remanet nisi specialissima solius Dei interventio. Ergo etiam veritas theologica ut talis constare potest.

Coroll. 1. Quoad **veritatem theologicam** dicendum, eam in theologia fundamentali aliter sumi quam in nostra thesi philosophica. Secundum theologiam fundamentalem veritas theologica adest, si invicte constat, Christum Dominum determinatum miraculum patrasse ad suam **missionem Divinam** vel ad suam **Divinitatem** probandam.

Coroll. 2. Debemus cavere duplicem errorem, sc.: Non statim credendum est tamquam verum miraculum, antequam rite examinatum sit determinatum factum narratum. Altera ex parte esset irrationabile, simpliciter et constanter negare characterem supernaturalem determinati eventus, non obstantibus argumentis certissimis. Deinde

notandum, facta diabolica ut talia generatim sat facile discerni posse ex circumstantiis et ex effectibus. Recte dicit Rast: "Signa, quae indicant fraudem sive humanam sive maligni spiritus, habentur, a) si miraculum fit cum magno apparatu, ut in scena publica ‚inserviens spectaculo; — b) si exspectatur lucrum temporale vel vana gloria; — c) si faveret religioni falsae vel superstitioni. Ita facile patet, quid sentiendum sit de miraculis de Budha narratis, de "miraculis" in sessionibus spiritisticis patratis" (Rast, p. 223, n. 420).

Schol. Signa miraculi secundum Saintonge: "Ecce signa miraculi quae indicant opus sensibile non deberi viribus naturae. — Vires agunt necessario; opus igitur quod sese praeberet ut omnino dependens ab aliquo arbitrio libero superiore toti mundo esset supernaturale. — Vires sunt proportionatae effectibus; opus igitur disproportionatum mediis est miraculosum. — Vires alligatae sunt conditionibus temporis; opus igitur independens ab his conditionibus sese praebet ul miraculum saltem secundi ordinis. — Vires sunt per se independentes a causis moralibus; opus igitur quod unice dependeret a causa morali, v. gr. precibus, esset supra naturam" (Saintonge, Summa Cosmologiae, p. 489).

Obi. 1. Ad miraculum dignoscendum deberemus certo scire, quid vires efficere possint; atqui hoc non possumus; ergo miraculum dignosci nequit.

Resp. Dist. mai.: deberemus hoc positive scire, nego; negative, sc. debemus scire quid certo non possint efficere, conc.; contrad. min. et nego cons.

Obi. 2. Maior probabilitas vincit minorem; atqui maior est probabilitas erroris testium quam laesionis legum naturae; ergo.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: nisi adsunt rationes in contrarium, conc.; secus nego.; ergo etc.

Obi. 3. Certitudo physica superat certitudinem moralem; atqui pro lege naturali stat certitudo physica, pro miraculo tantum certitudo moralis; ergo.

Resp. Conc. mai. et dist. min.: nisi adsunt in casu concreto signa pro exceptione, conc.; secus nego; par. dist. cons.

Obi. 4. Multa facta olim ut miracula habita hodie explicantur naturaliter; atqui a pari, quae hodie nobis ut miracula apparent, in futuro naturaliter explicari poterunt; ergo numquam habetur certitudo.

Resp. Conc. mai.; dist. min.: multa, trans.; omnia, nego. Ideo nego cons.

Obi. 5. Ipsa lex supponit sub eadem conditione semper eundem effectum; atqui in casu de miraculo non habetur idem effectus; ergo nondum constat de lege et consequenter neque de miraculo .

Rsp. Conc. mai. et min. et nego cons.; nam, praecise, cum effectus sit prorsus alius, non obstante eadem conditione, debemus dicere, causalitatem superiorem influere debere, cum secus ille novus effectus explicari non posset.

Obi. 6. Saltem opus angelicum non distingui potest ab opere stricte Divino.

Resp. Dist. assert.: hoc aliquando erit difficile vel hic et nunc impossibile, conc.; semper, nego. Nam v. gr. resurrectio evidenter a solo Deo causari potest.

Obi. 7. Multa, quae ab angelo bono fiunt, etiam a diabolo causari valent; ergo saltem in tali casu opera diabolica ut talia cognosci nequeunt

Resp. Conc. antec.; dist. cons.: si non essent adjuncta, conc,, secus nego.

THESIS 44. Deus providentia sua omnia gubernat.

Nexus. Thesis nostra logice sequitur ex thesibus de creatione et conservatione et de concursu necnon ex finalitate suprema creationis.

Notiones. Providentia multipliciter considerari potest, sc. in genere et in specie et haec vel complete vel incomplete et completa iterum physice et moraliter et in ultimo casu iterum vel naturaliter vel supernaturaliter.

A. **Providentia in genere** est cura quam aliquis habet vel adhibet de aliqua re. Sic. v. gr. pater familias specialem curam habet de sua familia.

B. **Providentia in specie** est providentia Divina, sc. cura quam Deus habet de suis creaturis, quae considerari potest vel complete vel incomplete;

I. providentia **incomplete** sumpta est "ipsa ratio ordinis rerum in finem, in Divina mente praeexistens" (cf. S. Thomas, De verit, q. 5. a. 1). Ut haec providentia incomplete sumpta fiat completa, requiritur insuper **gubernatio,** quae est executio temporalis ipsius ordinationis aeternae. Proinde.

II. providentia **complete** sumpta ita definiri potest, sc.: "Voluntas Dei, per quam omnes res apte congruenterque gubernantur" (Rast, n. 439). Quae iterum bifarie sumi potest, sc. generaliter et specialiter;

1) providentia **generalis,** quae etiam vocatur **physica,** sese extendit ad omnes res et includit conservationem et concursum;

2) providentia **specialis,** quae etiam vocatur **moralis,** sese extendit ad creaturas rationales tantum et consistit in lege naturali morali, sc. in praeceptis et consiliis et consequenter in **auxiliis,** sive **externis** (quae sunt v. gr. bona educatio, bona exempla aliorum, etc.) sive praesertim **internis** (quae consistunt in illuminatione mentis et in corroboratione voluntatis necnon in inflammatione cordis vel affectus). Porro providentia specialis aut est naturalis aut supernaturalis;

a) providentia **naturalis** respicit ordinem et finem naturalem et consequenter applicat media vel auxilia naturalia sive interna sive externa;

b) providentia **supernaturalis** autem respicit ordinem et finem supernaturalem et consequenter applicat correspondentia media supernaturalia.

Adversarii. I. **Theoretici;** sunt omnes qui Dei existentiam negant vel, licet eam agnoscant, tamen negant, influxum Divinum in res creatas, vel influxum prorsus insufficientem admittunt. Ex quibus enumerandi sunt v. gr.: 1) **Aristoteles,** qui omnem Dei influxum relate ad mundum simpliciter negare videtur (Stoeckl, p. 71). 2) **Stoici,** qui providentiam ad res nobiliores restringere conantur (Rast n.° 440). 3) **Averroistae** latini, qui talem admittunt tantum quoad res non-materiales (ib.). 4) Multi ex schola neo-platonica, uti praesertim **Plotinus,** qui

cum Aristotele putat, supremum ens ("hen") "non curare de sublunariis" (cf. Manser, O. Pr.). 5) Pagani tum antiqui tum moderni, secundum quos non existit aliqua "suavis providentia" sed aliquod **"fatum"** omnino caecum (cf. Scheeben, Handbuch der kath. Dogmatik, Bd. 2, S. 40). 6) **Deistae** moderni, qui providentiam vel simpliciter negant vel eam ut valde imperfectam explicant (cf. Scheeben, ib. et Herder, Lexikon, Bd. 3, S. 738). 7) Omnes casualistae, materialistae et positivistae (cf. Rast. n.° 440). 8) Pessimistae, uti **Schopenhauer** et alii, secundum quos ipsa voluntas Divina esset causa malorum; vel **Schelling** et **Fechner,** qui causam malorum in alia parte Divinae naturae invenire conantur (cf. Haas, Ontologia, p. 107).

II. **Practici;** sunt omnes illi, etiam christiani, qui non secundum praecepta Divina vivere volunt; quorum proinde fiducia et confidentia erga Deum eiusque bonitatem non parvum detrimentum capere solet.

Sensus theseos. (1) Loquimur de providentia Divina completa et speciali vel morali et quidem **naturali,** cum de supernaturali non sit sermo nisi in tractatu dogmatico. 2) Dicimus proinde, Deum omnia entia rationalia conducere ad finem ultimum, sc. ad suam propriam gloriam et ad propriam felicitatem ipsius creaturae rationalis.

Argumentum 1. Ex thesibus de finalitate creationis scimus, Deum omnino velle et suam propriam gloriam et felicitatem perfectam ipsius creaturae rationalis; **atqui** tunc eo ipso **efficaciter** vult applicare apta media ad duplicem illum finem consequendum (in qua applicatione de facto consistit providentia complete sumpta uti elucet ex statu quaestionis; **ergo** Deus providentia sua omnia gubernat.

Ad min. Deus eo ipso **efficaciter vult applicare media apta**.

1) Deus omnino **potest** applicare omnia illa media apta et quidem efficaciter, cum sit omnipotens, omniscius et infinite sapiens, uti ex variis thesibus invicte elucet, praesertim ex thesi de praescientia Dei quoad futuribilia.

2) Deus omnino **vult** applicare illa media, cum sit plenitudo perfectionis et bonitatis, quaeque bonitas non potest quid exigere a suis creaturis, quin suum auxilium correspondens fideliter et efficaciter praestare velit.

3) Illa **media** consistere in illustrationibus ipsius intellectus, in voluntatis corroboratione, praesertim in maximis difficultatibus, necnon in cordis inflammatione, sequitur ex ipsa natura humana, cum auxilia et media debeant correspondere non tantum ipsi finalitati sed etiam ipsi naturae, quae illam finalitatem consequi debet.

Argumentum 2. "Cum optimi sit optima producere, non convenit summae Dei bonitati, quod res productas ad perfectum non producat. Ultima autem perfectio uniuscuiusque est in consecutione finis. Unde ad Divinam bonitatem pertinet, ut sicut produxit res in esse, ita eas etiam ad finem perducat, quod est gubernare" et providere (cf. S. Thomas, Summa theol. p. I. q. 103. a. 1).

Argumentum 3. Ex Philosophia morali constat, existere legem et correspondentem sanctionem moralem et quidem non solam imperfectam hac sed prorsus perfectam in altera vita; **atqui** sanctio, praesertim illa sanctio perfecta in altera vita omnino specialem Dei providentiam supponit; **ergo** haec omnino existit.

Ad min. 1) Supponitur specialis providentia, qua Deus non tantum dat media apta ad finem sed etiam omnibus de facto merentibus concedit illum finem optatum sc. **beatitudinem** perfectam, in qua praecise consistit illa sanctio **positive** perfecta. Deinde 2) supponitur specialis providentia, qua Deus infligit poenam, i.e. amissionem ipsius beatitudinis et quidem omnibus ac solis illis, qui eam non merentur, in qua amissione de facto consistit sanctio **negative** perfecta.

Argumentum 4. Est invicta persuasio et intima omnium bonorum convictio, sese in omnibus rebus, etiam in maximis calamitatibus dirigi ac tegi et protegi suavissima ac amantissima Dei providentia; **atqui** persuasio tam intima et in re tam gravi ac cum tali ac tanta fiducia conservata, evidenter non potest esse falsa et erronea; **ergo** existit providentia Divina.

Coroll. 1. Rast et alii ponunt adhuc sequentem thesim, sc.: "Nec mala physica nec mala moralia obstant Divinae providentiae". Quam thesim omittere possumus. Nam 1) Deum nullo modo esse causam nec efficientem neque deficientem malorum, in alia thesi sufficienter ostendimus, sc. contra Schopenhauer, Hartmann aliosque pessimistas necnon contra falsam conceptionem ipsius Schelling aliorumque pantheistarum. Probavimus, Deum esse tantum causam permittentem relate ad mala ut talia. Quomodo et cur Deus mala praesertim moralia permittere valeat, etiam breviter explicavimus in eadem occasione, quatenus et inquantum dari potest explicatio philosophica. Ultimum responsum dare non esse hominum, etiam clare indicavimus. 2) Deinde dicendum, esse problema potius practicum quam theoreticum. Nam: Aut aliquis agit vitam bonam, honestam et sanctam aut non; si non, tunc evidenter mirandum non est, talem hominem exspectare non posse suavem Dei providentiam neque comprehendere, quomodo Deus tot ac tanta mala in mundo permiserit, immo et continuo permittat. Si quis autem agit vitam bonam et vere sanctam, tunc in dies magis ac magis in se ipso experiri valet, quam bona et suavis sit providentia Divina, et quidem non solum in rebus secundis sed etiam et maxime in rebus adversis. Pro tali homine mala huius mundi reapse nullum constituunt problema; et quo magis pati debet, eo magis et profundius sentiet illam consolationem internam, de qua Boetius scripsit in suo opere classico "De consolatione verae philosophiae". Talis cum Apostolo exsultare potest: "Superabundo gaudio in omni tribulatione" (2 Cor. VII, 4).

Coroll. 2 Si quis plura de providentia scire vult, legere potest: **S. Thom.**, S. theol. p. I. q. 22; q. 103, a. 1-8. C. gent. 3, 64 et 71-97. De verit. q. 5. a. 1-10.

Obiectiones quae fieri possunt contra thesim de providentia similes sunt illis, quae fieri solent contra argumentum teleologicum necnon contra theses de infinita Dei perfectione, de Dei praescientia infallibili praesertim quoad futuribilia, de causalitate mali sive physici sive moralis etc. —

Corollarium practicum. De fructu considerationis Divinae providentiae.

Divinae providentiae consideratio multos in nobis parit fructus, praesertim quattuor, sc.: 1) Causat magnum solatium et animi tranquillitatem hac in valle lacrimarum. Quo magis impii ac malevoli iustos opprimere et persequi conantur, eo dulcior erit pia afflictorum cogitatio de speciali Dei providentia erga nos. Nulla enim harum tribulationum accideret, nisi Deus illas permitteret. Porro, eas non permittit, nisi quia et inquantum contribuere valent ad maiorem eius gloriam et ad aeternam nostram salutem. Quare sit semper moderatus ac sanctus dolor noster, quem sentire solemus in afflictionibus nostris! Placuit enim Deo ob iustas et sanctissimas causas illas permittere, quippe qui potens est omnia illa mala sarcire et convertere in maiora bona. Verum est, hanc Dei providentiam non semper tam clare apparere hac in vita. Eo clarius et sole fulgentius apparebit in coelo. 2) Alius fructus huius considerationis est hic: Tollit omnes murmurationes contra Deum eiusque dispositiones sapientissimas. Nam mala huius mundi apta sunt media ad peccatorum nostrorum poenam delendam et ad merita nostra in dies magis ac magis augenda. Quare loco tristitiae magnum gaudium implere ac dilatare debet cor nostrum. Ex qua interna laetitia tandem fluere solet magna patientia in rebus adversis, quae patientia, teste Apostolo, "opus perfectum habet" (Jac. I. 4). 3) Consideratio providentiae Divinae nobis tollit anxietatem et sollicitudinem rerum huius vitae. Quod Christus Dominus pulcherrime ostendit in Evangelio, sc.: "Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento, quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. — Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est

et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicae fidei! Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? — Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua" (Math. VI, 25-34).

4) Alius effectus salutaris ipsius considerationis providentiae Divinae est **fiducia** in **periculis.** Quod iterum perpulchre **Christus Dominus** ostendit, sc.: "Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem, mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete! Nonne quinque passeres veneunt dispondio et unus ex illis non est in oblivione coram Deo. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis; Omnis, quicumque me confessus fuerit coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.....Cum autem inducent vos in synagogas et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse, qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis! Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere" (Luc. XII, 4-12). In alio capitulo Dominus dicit: "Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis et morte afficient ex vobis... Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras" (Luc. XXI, 16-19)

Conclusio: Propterea induamini armis invincibilibus, sc. irrefragabili fide et fiducia erga infinitam Dei bonitatem et misericordiam, cum Ipse ineffabili sua providentia omnia nostra suaviter et sapientissime disponat et ad finem felicem conducat! Qua consideratione corroborati Sancti Apostoli et Sancti Martyres et reliqui Sancti omnes in omnibus periculis et persecutionibus animo tranquillo permanserunt. Similiter Sanctus Franciscus Xaverius inter Japonios et Beati ac Gloriosi Martyres Riograndenses inter ferocissimos Indianos imperterriti egerunt.

Scholion. Recollectio precatoria de providentia Divina, ex mente Divi Leonardi Lessii.

"Tua, Pater, providentia gubernat omnia, pertingens a fine ad finem, ab extremis coelorum ad ima terrarum, a supremo spiritu ad infimum vermiculum: fortiter et disponens omnia suaviter. (Sap. XIV, 8). Fortissimus eius attactus, quo creantur et sustentantur omnia; suavissima dispositio, qua singula pro naturae conditione suis locis et ordinibus collocantur, suos in fines diriguntur, suosque motus agere sinuntur. Non fortuito atomorum concursu, aut elementorum acri conflictu, aut sponte sua mundus iste coaluit, vel emicuit in lucem, sed providentiae Tuae consilio et vi. Quomodo enim res tanti ingenii et artificii, in qua omnia summa ratione et proportione, summa pulchritudine, symetria et eutaxia constant, sine ratione et sapientia fieri potuisset? — Tua providentia haec omnia ab aeterno excogitavit, concepit, distinxit, digessit, ordinavit... Vae peccatoribus, qui huic gubernationi et legibus subtrahere se conantur et sua providentia et suis placitis et arbitrio vivere! Dum enim subducunt se providentiae dirigenti ad vitam, incidunt in providentiam destinantem ad mortem; et dum recedunt ab ordine benignitatis et misericordiae, incurrunt in ordinem severitatis et iustitiae; et dum excutiunt jugum suave Divinorum praeceptorum, subeunt jugum crudele daemonum et aeternorum suppliciorum. O insaniam sanguineis lacrimis deflendam! Quis mentes mortalium ita fascinavit, et in tantam amentiam adduxit?... Haec igitur sublimis providentia Tua mihi semper ob oculos versetur et quidquid prosperi vel adversi obvenerit, ab illa duci et pendere intelligam, deque beneficia manu Tua excipiam. Nihil enim fit in tempore, quod ab illa ob iustissimas causas non sit dispositum in aeternitate. Haec mihi in asperis sit solatio;.... Omnia enim providentia Tua sapientissime disponit, et quidquid erratum fuerit a creaturis, quidquid ab ordine recesserit, ita corriget et in ordinem rediget, ut in omnibus Gloriae Tuae Majestas magis resplendeat, quam si omnia primum ordinem in quo posita fuere, tenuissent..... Haec mihi fiduciam pariat in terroribus, securitatem in periculis, robur in arduis, tranquillitatem in turbulentis, tolerantiam in adversis, aequitatem animi in fu-

turorum exspectatione. Haec vanas a mente nostra sollicitudines depellat, perinde ac si a sola providentiae Tuae benignitate omnia provenirent; et simul ea sedulitate rebus agendis intentam faciat, quam earum magnitudo et status postulat. Nostram enim cooperationem, nostrumque studium postulat providentiae Tuae gubernatio. Sed supervacaneam curam et anxietatem in rebus temporalibus negotiisque huius vitae respuit et damnat.

Haec omnia mea disponat et regat usque in finem, sicut saluti meae et Gloriae suae expedire novit, sive per prospera, sive per adversa, per honorem vel ignominiam, per infamiam vel laudem, per abundantiam vel inopiam, per morbos vel sanitatem, per vitam vel mortem. Nihil excipio, nihil refugio. Hoc unicum et antiquum votum meum: Fac mecum, sicut scis profuturum saluti meae et Gloriae Tuae, ut Te in omnem aeternitatem contemplar et admirer, amen et honorem, laudem, benedicam et glorificem in omnibus et super omnia. Amen" (Leonardus Lessius, De Perfectionibus Moribusque Divinis, p. 195-200).

THESIS 45. Deus serio et operose vult omnes homines salvos fieri.

Nexus. Thesis nostra est specialis conclusio ex thesi de providentia Divina, in qua iam implicite continetur.

Notiones. In thesi est sermo de voluntate Dei salvifica universali et consequenter etiam, saltem implicite, de conceptu opposito, sc. de reprobatione antecedenti, sive positiva sive negativa. Qui conceptus proinde breviter explicari debent.

A. **Dei voluntas salvifica universalis** est voluntas Divina, qua Deus serio et operose vult omnium hominum salutem, saltem naturalem, (cum in philosophia non sit sermo de salute supernaturali). Quae voluntas salvifica potest considerari vel absolute vel conditionate;

I. voluntas salvifica **absoluta** adest, si Deus absolute vult salutem alicuius creaturae rationalis independenter a qualicumque conditione cuiuscumque creaturae. De qua non erit sermo in thesi. Cui voluntati salvificae absolutae opponitur voluntas conditionata;

II. voluntas salvifica **conditionata** est voluntas, qua Deus serio et operose vult salutem hominum, non quidem absolute sed tantum conditionate, sc. dependenter a bona voluntate ipsorum. De qua voluntate hypothetica erit sermo in thesi.

B. **Reprobatio** est actus volitivus, quo Deus aliquam creaturam liberam reicit a salute aeterna. Quae reprobatio aut est antecedens aut consequens;

I. reprobatio **consequens** est illa, quae sequitur dependenter a demeritis vel peccatis ipsius creaturae liberae et erit omnino positiva. De qua tamen non est sermo in thesi.

II. reprobatio **antecedens** esset voluntas, qua Deus aeternam ruinam alicuius creaturae vellet, et quidem independenter a correspondentibus demeritis futuris. Quae reprobatio antecedens iterum considerari potest vel positive vel negative;

1) reprobatio antecedens **negativa** esset voluntas, qua Deus quidem non positive a salute excluderet, sed creaturam simpliciter **non** includeret in sua voluntate salvifica;

2) reprobatio antecedens **positiva** esset illa, qua Deus positive aliquam creaturam excluderet a salute, sive physice sive saltem moraliter;

a) reprobatio positiva **physica** adesset, si Deus suo influxu **physico** aliquem positive excluderet a salute aeterna;

b) reprobatio positiva **moralis** adesset, si Deus influxu suo **morali** tantum, licet positive a salute excluderet aliquam creaturam.

Sententiae:

1) **Calvinismus,** secundum quem Deus **positive** et **physice** certum numerum hominum excludit a salute aeterna et quidem **antecedenter** ad praevisa demerita vel peccata. Est sententia **damnata** (Denz. 827).

2) **Jansenismus,** secundum quem Deus **positive** sed **moraliter** tantum certum numerum hominum excluderet a salute antecedenter ad praevisa demerita. Quae sententia etiam est **damnata**.

3) **Bañezianimus,** secundum quem Deus certum numerum hominum antecedenter ad praevisa demerita a salute excludit et quidem physice sed tantum **negative,** sc. negando illam praemotionem physicam infallibiliter efficacem. Nonnulli ex illis statuerunt, "Deum aliquos homines non velle salvare, quia pulchritudo universi postulet, ut non tantum sint beati, sed etiam damnati, ad manifestandam scl. iustitiam Dei. Ita secundum Alvarez Deus vult quidem salutem reproborum, quatenus consideratur absolute et secundum se; si autem consideratur ut habet adiunctam privationem aut carentiam maioris boni, videlicet boni universalis providentiae Divinae, pulchritudinis universi, manifestationis iustitiae in reprobis et maioris splendoris misericordiae eius in electis, sic non est volita a Deo...; similiter Gonet,... Billuart" (cf. Mors, De Deo Uno, n.° 244).

4) **Augustianismus,** secundum quem Deus antepraevisa demerita certum numerum a salute excludit sed tantum negative et moraliter, sc. negando praemotionem moralem infallibiliter efficacem. Ita v. gr. Laurentius Berti, (1696-1766).

5) **Molinismus,** secundum quem Deus neminem excludit antepraevisa demerita, neque negative, neque positive, neque physice neque moraliter, sed tantum **post** praevisa demerita et tunc utique, non negative sed positive et physice. Quam sententiam tenemus nos, licet in thesi non positive et explicite probanda sit, sed tamen implicite in ea contineatur. Quibus praesuppositis breviter statuitur.

Sensus theseos. 1) Thesis posset probari triplici parte, sc. in prima parte reici posset reprobatio positiva sive physica sive moralis et in secunda parte idem fieri posset relate ad reprobationem negativam, sc. antepraevisa demerita. Attamen non erit explicite sermo de reprobatione in ipsa argumentatione, saltem non in duobis primis argumentis. Nam, thesi semel probata in sua forma positiva, eo ipso excluditur omnis reprobatio antecedens in qualicumque forma. Quare sufficiat simpliciter probare ipsam voluntatem salvificam universalem ut talem.

Ideo 2) dicendum: Deus **antecedenter** ad singulorum demerita neminem reicit a salute aeterna (sed tantum consequenter, sc. dependenter a praevisis demeritis); ideo 3) Deus **serio et operose** omnium hominum salutem omnino vult, licet non absolute sed tantum hypothetice vel conditionate, sc. dependenter a singulorum operibus vel dependenter ab eorum bona voluntate. 4) Evidenter non loquimur nisi de salute **naturali,** cum de supernaturali sit sermo in correspondenti thesi dogmatica.

Argumentum 1. In thesi 37, sc. in thesi de finalitate conditionate ultima creationis invicte probatum est, Deum velle etiam bonum creaturarum, maxime rationalium, et quidem omnium, uti patet; **atqui** velle bonum omnium creaturarum, praesertim rationalium et tamen non serio et operose velle eorum omnium salutem, saltem conditionate, esset contradictio in terminis, quod admitti nequit; **ergo** nihil remanet nisi dicendum, Deum serio et operose omnium salutem velle, licet non absolute, uti patet, sed conditionate.

Argumentum 2. Ex thesi de desiderio felicitatis constat, hominem in se ipso experiri elementarem et irresistibilem inclinationem in perfectam felicitatem; **atqui** Deus evidenter tale desiderium animae humanae imprimere non posset, nisi serio et operose (licet conditionate) vellet hominis salutem vel felicitatem; **ergo** Deus serio et operose vult omnes homines salvos fieri.

Argumentum 3. (Probatur ex eo, quo refutatur falsa suppositio adversarii). Adversarius dicit, Deum a priori, sive positive sive negative excludere determinatum numerum hominum a salute aeterna, ita ut consequenter perire debeant. Contra talem affirmationem ita argumentamur sc.:

Deus omnibus et singulis hominibus aut dat gratiam vere sufficientem aut non; **atqui** in utroque casu ruit sententia absurda adversarii; **ergo** reicienda et sic nihil remanet, nisi nostram sententiam esse legitimam.

Ad min. Nam 1) si Deus **non** daret gratiam vere sufficientem, tunc talem hominem evidenter non posset

aeterne punire; esset enim magna injustitia, quae metaphysice repugnat in Deo, utpote ente infinite bono et infinite iusto.

2) Si autem cuilibet **dat** gratiam vere sufficientem, (uti de **facto** dat), tunc evidenter quilibet sese salvare potest, dummodo ipse serio et operose cooperari studeat cum gratia Divina; sed tunc ruit quaelibet sententia de reprobatione sive positiva, sive negativa, et sic sententia adversarii in utroque casu ruit, uti dicitur in minore argumenti.

Coroll. 1. Ipsa thesis luculenter confirmatur et persuasione intima hominum, et ex analogia vel comparatione cum bonitate entis finiti, necnon verbis Sanctorum, uti v. gr. ipsius Sancti Francisci Salesii, Doctoris Ecclesiae.

1) Confirmatio ex **persuasione universali** hominum: Est enim persuasio intima et universalis hominum, saltem illorum omnium, qui hac in re sequi solent dictamen sanae rationis; et revera, illi, qui nihil sciunt de tali controversia, generatim non tantum non dubitare sed ne cogitare quidem solent de tali quaestione. Deum omnes homines serio et operose et sine ulla restrictione (licet conditionate) salvos fieri velle, est enim illis tam evidens, uti v. gr. bis duo esse quattuor.

2) Idem elucet ex **analogia** cum **bonitate creaturae:** Si iam homo fragilis, sed bonus et honestus ex inclinatione quadam naturali et irresistibili omnes alios serio et sincero corde salvare desiderat, et quidem omnes sine ulla restrictione et sine exceptione, quid tunc dicendum erit de ipso Deo, utpote summo et infinito bono ?! — Ergo argumentatio de minori ad maius, sc. argumentatio ex analogia intrinseca habet in nostro casu optimum valorem.

3) Idem confirmatur dictis Sanctorum, uti v. gr. ipsius **Sancti Francisci Salesii,** qui nostram sententiam vocat "antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam... ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem et amabiliorem" (Epist. 26. Aug. 1618 Lessio data; — cf. Mors, De Deo Uno, n. 268).

Coroll. 2. Leonardus Lessius, loquendo de nostris adversariis, speciatim de sententia reprobationis antece-

dentis negativae, dicit, eam esse a veritate et doctrina S. Scripturae et sanctorum Patrum alienam (cf. Lessius, De perfectionibus Div. Lib. XIV, C. II, n. 15, p. 532). Deinde in fine eiusdem capituli loquitur de nostra sententia et dicit, eam esse magis piam et consentaneam divinae bonitati, magis consonam Scripturis et sanctis Patribus, magis consolatoriam et idoneam ad proximum iuvandum et ad ingentem salutis sollicitudinem omnium animis injiciendam (cf. Lessius, ib. n. 48, p. 548).

Proinde idem auctor capitulum secundum eiusdem libri his verbis concludit: "Ex his patet, in prima illa intentione, qua Deus voluit se communicare naturae rationali, neminem fuisse exclúsum, sed omnes pari modo comprehensos; omnes enim, quos statuit creare, statuit etiam in filios adoptare, et gloriae suae participes facere, nisi ipsi se tanto beneficio redderent indignos. Sicut enim ipse est omnium principium, ita etiam voluit esse omnium finis et consummatio" (cf. ib. n. 55, p. 550).

Verum est, Leonardum Lessium in toto capitulo loqui de ordine supernaturali, uti praesertim ex ultimo numero, sc. 55°, clare elucet. Sed eius verba a fortiori confirmant nostram thesim mere philosophicam, in qua sermo est de solo ordine naturali. Nam, si Deus independenter vel antecedenter ad praevisa demerita neminem excludit e gloria supernaturali, i.e. e beatitudine supernaturali (sc. visione beatifica), tunc a fortiori antecenter neminem excluderet e beatitudine mere naturali.

Obi. 1. Doctrina de reprobatione negativa ante praevisa demerita multo magis fovet tranquillitatem animae, cum in ea totum negotium salutis ponatur in manu Dei omnipotentis.

Resp. Retorqueo; sc. nulla sequeretur tranquillitas animae ex tali sententia. Nam, "si Deus ante omnem culpam praevisam aliquos e coelo exclusit, et si ego sum unus ex illis, tunc absolute certa est aeterna mea damnatio. Ubi manet tranquillitas animi ?" (cf. Mors ,ib. n. 268).

Obi. 2. Si voluntas Divina salvifica esset universalis, tunc omnes salvarentur.

Resp. Dist. si esset absoluta, conc.; si conditionata, subd. etc.

APPENDIX

Conspectus de rerum causalitate

A. **Causa efficiens** est ens, quod **active** et **physice** influit ad aliud producendum vel causandum. Quae causa efficiens potest esse vel primaria vel secundaria;

I. causa **primaria** vel prima est absolute suprema, sc. **Divina.** 1) Ex suo conceptu metaphysico est semper **principalis** et numquam instrumentalis. 2) In omnibus actibus creativis est simpliciter **unica** causa physica, proinde **adaequata;**

II. causa **secundaria** vel secunda vel **creata** 1) numquam potest esse causa **unica** sensu metaphysico, cum in esse et agere absolute dependeat a causa prima. Proinde 2) numquam potest esse causa **adaequata** alterius entis; sed 3) potest esse vel causa principalis vel instrumentalis;

1) causa **principalis** est ens, quod agit **propria** sua determinatione;

2) causa **instrumentalis** est ens, quod, licet vere influat ad aliud causandum, tamen non agit propria determinatione sed determinatione alterius, sc. causae principalis; porro causa instrumentalis iterum bifarie sumi potest, sc.:

a) vel ut causa **physica,** si vere physice influit;

b) vel ut causa **moralis,** si moraliter tantum influit. Evidens est, in hoc ultimo casu non esse causam efficientem, nisi sensu **lato** tantum, cum causa efficiens sensu **stricto physice** influere debeat, uti supra vidimus.

B. **Causa finalis** est illa, quae non physice sed **intentionaliter** influit ad effectum producendum, sc. "quatenus movet causam efficientem ad agendum" (Frick, Ontol. n. 349). Multiplex datur divisio, sc.:

I. Causa finalis **operis** et **operantis;**

1) causa finalis **operis** est id, ad quod opus natura sua dirigitur;

2) causa finalis **operantis** est id, quod operans in sua actione intendit;

II. causa finalis **proxima, remota** vel intermedia et **ultima,** quatenus aliquid proxime respective remote vel ultimatim intenditur;

III. causa finalis **absoluta** vel primaria et **conditionata** vel secundaria vel hypothetica, quatenus aliquid absolute respective conditionte intenditur;

IV. causa finalis **interna** vel activa et causa finalis **externa.**

C. **Causa formalis** est ens, quod aliud informat, i.e. alteri quodammodo communicat suum esse (cf Frick, ib. n. 360). Potest esse vel substantialis vel accidentalis, et haec iterum vel naturalis vel supernaturalis;

I. causa formalis **substantialis** est substantia incompleta, alteri communicando suum esse altius sic cum illa constituit **unum** tertium **substantiale** (cf. Zahnen, Psychologia specul. 1944, p. 257). V. gr. anima humana relate ad corpus humanum;

II. causa formalis **accidentalis** est accidens, alteri communicando novam perfectionem accidentalem; sic v. gr. figura statuae B. V. Mariae est nova perfectio accidentalis, ipsi massae communicata.

D. **Causa materialis** est ea, quae a causa formali determinatur et ab ea elevatur ad esse altius, sive substantialiter sive saltem accidentaliter.

E. **Causa exemplaris** est idea in mente artificis, secundum quam opus extrinsecum ab eodem artifice perficitur, et potest esse vel causa exemplaris **Divina** vel **humana,** prout est sermo de idea Divina respective humana.

Conspectus de rerum ordine

1) Ordo subiectivus

Ens rationis vel ens subiectivum vel abstractum vel universale vel logicum vel ens ideale vel in ordine cogitandi; potest dupliciter considerari, sc.

1) **sine** fundamento
2) **cum** fundamento

et hoc ultimum iterum potest sumi vel

a) cum fundamento **perfecto** vel
b) cum fundamento **imperfecto.**

2) Ordo obiectivus

Ens reale vel ens obiectivum vel concretum vel singulare vel ontologicum vel in ordine essendi; potest dupliciter sumi, scilicet,

Ens **"A SE"**

Ens **"ab alio"**, quod interum considerari potest sive physice sive metaphysice, scilicet,

A. ens reale **metaphysicum,** quod opponitur enti actu existenti et iterum dupliciter considerari valet, sc.

I. aut ut ens mere **possibile.** quod iterum erit

1) vel possibile **absolute**
2) vel possibile **praecisive** sumptum;

II. aut ut ens **futuribile,** sc. liberum conditionate futurum in oppositione ad liberum absolute futurum, quod iterum erit

1) vel futuribile **absolute**
2) vel futuribile **praecisive** sumptum;

B. ens **reale physicum** vel actuale, quod opponitur ipsi reali metaphysico, iterum est vel substantiale vel accidentale;

I. ens actuale **substantiale** aut

1) **spirituale** aut
2) **materiale** et hoc ultimum iterum aut
   a) **non-vivens,** aut
   b) **vivens;** quod ultimum iterum aut
      aa) **sensitivum** aut
      bb) **vegetativum;**

II. ens actuale **accidentale,** quod iterum est aut

1) **naturale** aut
2) **supernaturale** et **utrumque** aut
   a) **morale** aut b) **non-morale.**

EPILOGUS

His absolvimus tractatum de theologia-naturali. Multipliciter probavimus, existentiam Dei iam naturaliter a nobis cognosci posse et quidem cum relativa facilitate, saltem si attendimus ad argumenta quae "psychologica" vocantur, uti v. gr. argumentum deontologicum vel argumentum eudaemonologicum etc. — Intravimus deinde in quaestionem perpulchram de attributis Divinis. Qua admirabili contemplatione peracta, variis tandem thesibus omnium rerum originem a Deo consideravimus. Intimo praesertim gaudio impletum est cor nostrum admirando admirabilem et sapientissimam Dei providentiam, quae omnia et singula a rebus maximis usque ad minima suaviter disponit et ad finem optatum conducit.

Cognoscere Deum eumque super omnia amare iam hac in vita est revera occupatio pulcherrima et dulcissima. "Deum et animam scire cupio. Nihilne plus? Nihil omnino" (Soliloq. S. Augustini, L. I. C. 2; — cf. Leonel Franca, Historia de phil. 1921, p. 58, n. 54). — Recte dicit Leonardus Lessius: "Quid enim optabilius, quam nosse summum bonum, finemque ultimum, et tenere viam certissimam qua ad illud pervenitur ? — Sine hac notitia omnis alia sapientia esset inutilis, neque sapientiae nomine digna" (Lessius, De perfectionibus moribusque Divinis, p. 551).

Porro, si iam hac in vita tam bonum et pulchrum est, de Deo cogitare eumque amare ex toto corde, quid dicendum erit de vita nostra beata et sempiterna ? — Nam "videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem" (1. Cor. XIII, 12). Sit ergo tota nostra vita in honorem et laudem vel gloriam Domini nostri, qui est totius vitae nostrae supremum principium et finis absolute ultimus. Ipsi soli gloria ! "Benedicant Te coeli terra, mare et omnia, quae in eis sunt, laudent et super-

exaltent in saecula!" (Dan., 3). Sint ergo omnes cogitationes et operationes nostrae unice ad Dei infinitam maiestatem cognoscendam et agnoscendam ! Tunc etiam pro nobis valent illa verba Domini Nostri Jesu Christi in sua Oratione Sacerdotali:

"HAEC EST AUTEM VITA AETERNA, UT COGNOSCANT TE, SOLUM DEUM VERUM, ET QUEM MISISTI, JESUM CHRISTUM !" (Joh. XVII. 3).

AVE MARIA !

INDEX

Pag.

BIBLIOGRAPHIA 3
PROOEMIUM 5
INTRODUCTIO 7

PARS PRIMA

DEMONSTRATIO EXISTENTIAE DEI PRAEPARATUR

Assert. Conceptus Dei oritur ex consideratione rerum mundanarum, ita, ut omnes notae, quae conceptum Dei ingrediuntur, abstractione haustae sint ex his rebus nos circumstantibus 11

THESIS 1. Deus naturali lumine certo cognosci potest 16

THESIS 2. Deum existere non est nobis immediate notum .. 19

PRINCIPIA IN THEODICEA SAEPE ADHIBENDA

Principium **contradictionis, rationis sufficientis** 23
causalitatis 24
Principium **axiologicum** vel finalitatis 25

THESIS 3. Existentia Dei probari nequit a priori neque a simultaneo 27

PARS SECUNDA

ARGUMENTA PRO DEI EXISTENTIA AFFERUNTUR

PROLEGOMENA 33

THESIS 4. Existere Deum tamquam ens a se probatur ex existentia rerum ab alio; (= argumentum **cosmologicum)** 35

THESIS 5. Existere Deum ut ens immutabile probatur ex rerum mutationibus; (= argumentum **cinesiologicum)** 41

THESIS 6. Deus ut ens absolute necessarium sequitur ex rerum contingentiae; (= **argumentum tychologicum)** 48

THESIS 7. Deus ut ens summe perfectum colligitur ex rebus imperfectis: (= argumentum **climacologicum)** .. 51

THESIS 8. Deus ut architectus sapientissimus probatur ex admirabili rerum ordinatione ad finem; (= argumentum **teleologicum)** 55

De argumento eudaemonologico

THESIS 9. Desiderium felicitatis est naturale, spirituale et irresistibile 62

THESIS 10. Deum existere tamquam summum bonum probatur ex desiderio felicitatis; (= argumentum **eudaemonologicum**) 65

De argumento deontologico

THESIS 11. Ex voce conscientiae probatur Deus ut legislator et remunerator supremus; (= argumentum **deontologicum**) 75

Assertum. Vox conscientiae ut norma indicativa identificari nequit cum intellectu 78

THESIS 12. Deum existere constat ex persuasione omnium gentium; (= argumentum **ethnologicum**) 80

APPENDIX AD PARTEM II.

Assertum 1. Deus ut ens aeternum probatur ex rerum temporalitate; (= argumentum **chronogonicum**) 82

Assertum 2. Deum existere ut ens unicum elucet ex rerum unitate in multiplicitate; (= argumentum **henologicum**) 84

Assertum 3. Existere Deum ut ens summe reale, sc. ut actuale sequitur ex rebus possibilibus; (= argumentum **ideologicum**) 86

Assertum 4. Probatur Dei existentia ex lege entropiae; (= argumentum **entropologicum**) 88

Assertum 5. Existere Deum ut spiritum omnipotentem probatur ex animae humanae spiritualitate; (= argumentum **anthropologicum**) 88

Assertum 6. (= Argumentum **biologicum**) 89

Assertum 7. (= Argumentum **thaumatologicum**) 89

Assertum 8. Existere Deum utpote ens infinite perfectum, sanctum et omnipotens, constat ex vita Domini Nostri JESU Christi; (= argumentum christologicum) 89

De atheismo

THESIS 13. Impossibilis videtur atheismus negativus, saltem ad longum tempus; possibilis autem positivus, licet probabilius non sine culpa 91

PARS TERTIA

DE ATTRIBUTIS ESSE DIVINI

THESIS 14. Deus est ens strictissime infinitum et actus purus 99

De perfectione Dei

THESIS 15. Deus est plenitudo perfectionis 104
THESIS 16. Perfectiones negative simplices Deo et creaturis conveniunt per analogiam intrinsecam attributionis 107
Assertum. Perfectiones mixtae autem Deo et creaturis conveniunt per analogiam mere extrinsecam 111
THESIS 17. Creatura non est causa efficiens sed causa deficiens mali (moralis); Deus autem nec efficiens neque deficiens, sed tantum permittens 113
Assertum. Deus tamen est causa efficiens relate ad ipsum actum physicum, quocum malitia conectitur 119
THESIS 18. Deus est absolute simplex sine ulla compositione, sive physica sive metaphysica 120
THESIS 19. Est distinctio logica tum inter essentiam Divinam et attributa, tum inter attributa ipsa 125
THESIS 20. Deus est physice et moraliter absolute immutabilis 127
THESIS 21. Deus est aeternus 131
THESIS 22. Deus est immensus 134
THESIS 23. Non est nisi unus solus Deus 135
THESIS 24. Deus est ens omnino personale 138
THESIS 25. Reicitur pantheismus ut systema falsum 139

PARS QUARTA

DE ATTRIBUTIS OPERATIONIS DIVINAE

THESIS 26. Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto, seseque comprehendit 148
THESIS 27. Deus perfecte cognoscit omnia possibilia 152
THESIS 28. Deus ab aeterno et infallibiliter cognoscit omnia futura sive necessaria sive libera, immo et omnia futuribilia 154

De modo, quo Deus praescit libera, sive absolute sive conditionate futura vel futuribilia

Praenotanda: 160
THESIS 29. Deus futuribilia non cognoscit in suis decretis subiective determinantibus, neque in causis secundis, sed in se ipsis, intentionaliter repraesentatis in sua essentia Divina 163
Assertum 1. Obiectum formale voluntatis Divinae est eius essentia 173
Assertum 2. Obiectum materiale voluntatis Divinae est omne aliud ens 173

THESIS 30. Deus in iis, quae extra se agit, utitur libero arbitrio 174
Assertum 1. Deo convenit potentia operandi ad extra 180
Assertum 2. Deus est omnipotens..... 181

PARS QUINTA

DE ORIGINE RERUM A DEO

THESIS 31. Quidquid praeter Deum existit, a Deo creatum est 183
THESIS 32. Omnia a solo Deo creata sunt 185
THESIS 33. Creatio ab aeterno videtur omnino impossibilis .. 189
Assertum. Deus est causa prima et exemplaris mundi 196

De finalitate ipsius creationis

THESIS 34. Finis operantis in creatione est infinita Dei bonitas creaturis communicanda (respective communicata) 197
THESIS 35. Finis operis absolute ultimus in creatione est gloria Dei externa obiectiva pro omnibus, insuper formalis pro creaturis rationalibus 198
THESIS 36. Amor non videtur de essentia gloriae Dei externae formalis 206
THESIS 37. Finis conditionate ultimus in creatione est bonum creaturarum rationalium, (cs. beatitudo aeterna) 211
THESIS 38. Beatitudo essentialiter consistit in cognitione et amore et gaudio 216

De conservatione et de concursu

THESIS 39. Quodcumque praeter Deum existit, positiva et directa Dei conservatione indiget, ut esse pargat 221
THESIS 40. Creatura ad omnes suas actiones physico et immediato Dei concursu indiget 224
THESIS 41. Deus actiones liberas creaturarum non movet neque praedeterminatione neque condeterminatione physica 230
THESIS 42. Miracula fieri possunt 234
THESIS 43. Miracula ut talia saltem aliquando certo cognosci possunt 241
THESIS 44. Deus providentia sua omnia gubernat 245
THESIS 45. Deus serio et operose vult omnes homines salvos fieri 253

APPENDIX

Conspectus de rerum causalitate 259
Conspectus de rerum ordine 260
EPILOGUS 262

I H S

AVE MARIA